

COMMENTATIO

DE

PRAECLARO ILLO CICERONIS LOCO: „AD-
SUNT ATHENIENSES, UNDE HUMANITAS,
DOCTRINA, ARTES, RELIGIO, FRUGES,
JURA, LEGES ORTAE ATQUE IN OMNES
TERRAS DISTRIBUTAE PUTANTUR;“

QUAM

PRAECIPUE IN USUM JUVENUM LITTERARUM
STUDIOSORUM

SCRIPSIT

JO. MICH. GUIL. EICHENAUER,

PHILOS. D.; VIRTUTIS BELLICAE INSIGNI HASSIACO, CUI INSCRIPTA
SUNT HAEC VERBA: „HIS, QUI A. CIOIOCCXIII ET CIOIOCCXIV FORTITER
PRO PATRIA DECERTARUNT,“ DECORATUS.

BIBLIOTH.
ACADEM.
DORPAT.

DORPATI LIVONORUM,
TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI.
CIOIOCCXXX.

VIRIS

CLARISSIMIS, AMPLISSIMIS, DOCTISSIMIS,
ARTIUM GRAECARUM INTELLIGENTIA
NON MINUS, QUAM ATTICA HUMANI-
TATE CONSPICUIS,

Imprimatur

sub conditione, ut, simulac typis excusus fuerit hic libellus, quin-
que exempla collegio, cui censura librorum mandata est, tradantur.

Dorpati Liv. d. 17., m. Maj. a. MDCCCXXX.

Dr. G. Ewers,
a Cons. stat. act., Colleg. censor.
Dorpat. vice-praeses.

AUGUSTO BOECKHIO,

PHILOSOPHIAE DOCTORI, BORUSSORUM REGI AUGUSTISSIMO
A CONSILII JUSTIT. INTIMIS, ORDINIS REGII AQUILAE RU-
BRAE EQUITI, ELOQUENTIAE IN UNIVERSITATE LITTERARUM
REGIAE BEROLINENSI PROFESSORI P. O., ACAD. DOCTR. BO-
RUSS. SODALI, RELI. RELI.

CAROLO GUILIELMO JUSTI,

THEOLOGIAE DOCTORI, PHILOSOPHIAE IN UNIVERSITATE LIT-
TERARIA MARTISBURGENSI PROFESSORI P. O., S. ELISABETHAE
ECCLESIAE MARTISBURGENSIS MINISTRO VERBI DIVINI PRIMA-
RIO, SUMMO REI ECCLESIASTICAE ANTISTITI, COMPLURIUM-
QUE SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI

2 63137

LUDOVICO DISSENIO,

PHILOSOPHIAE DOCTORI, DOCTRINARUM ANTIQUITATIS IN
UNIVERSITATE LITTERARIA GOTTINGENSI PROFESSORI EGRE-
GIO, PLURIUMQUE SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI

GUILIELMO FABRO,

GYMNASII, QUOD HERSFELDAE FLORET, RECTORI MERITIS-
SIMO, GRAECARUM LITTERARUM DOCTORI EXIMIO

EXILES HOSCE STUDIORUM SU-
ORUM FRUCTUS,

SUMMAE EORUNDEM VIROBUM ERGA SE HUMANITA-
TIS AC BENEVOLENTIAE MEMOR,

SACRATOS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Quisquis Cecropias hospes cognoscis Athenas,
Quae veteris famae vix tibi signa dabunt,
Hae sunt, quas merito quondam est mirata vetustas.
Magnarum rerum magna sepulcra vides.

„In antiquitatis itinere“ (quae sunt verba
Ciceronis, de Orat. c. 60.) non solum discimus tum
biblicis dictis tum ipsis factis, remotissima ex
vetustate depromptis, quam stabile sit verbum
Dei, quam sincera servatoris nostri optimi ma-
ximi et historia et doctrina, quam ipsi Deo cordi,
quae filius ad propagandam eam per terras et
tempora omnia praeclare fecerit: verum cogno-
scimus etiam populorum tam loci quam temporis
intervallo a nobis sejunctorum linguas, mores,
notiones, statum civilem, militarem, domesti-
cum, atque in primis homines inter eos virtuti-
bus et ingenio eminentes, consuetudinemque cum
iis contrahimus. Quarum rerum omnium per

labentium seculorum decursum ordine ac vicissitudinibus cognoscendis ac perspiciendis quodam insatiabili incredibilique gaudio animus impletur, maximarumque rerum cogitatione evehitur, quae ad vitam humanam, ad rempublicam bello paceque administrandam, ad legum, jurum cognitionem, ad illam disciplinarum reginam, philosophiam, ad artem medicam, et sacram in primis doctrinam vel maxime faciunt. Namque non id agitur in antiquitatis disciplina, ut literarum apices sectemur, ut ad syllabas adhaerescamus, et in minutis neque liberalis hominis studio dignis quaestiunculis tempus teramus: sed id agitur, ut recte cogitandi sapiendique intelligentia et usus e veterum scriptis, ac praecipue e Sacris Bibliis, velut ex limpidissimo perennique sapientiae fonte, ducatur; quanquam negari nequit, illum fontem non nisi accurata verborum antiquarumque linguarum scientia recludi posse atque aperiri: unde faciendum esse apparet, ut in verborum cognitionem veterumque linguarum usum nos penitus insinuemus. Neque huc spectat vis doctrinae antiquariae, ut fabularum nugae aucupemur, recoquendisque vulgaribus rebus bonum

otium perdamus: verum huc spectat, ut ingenia conformentur, mores emendentur ac regantur, ut animus ad pulchrarum rerum sensum mitigetur et excolatur.

Quem quidem pulchri sensum Atticorum maxime scriptorum operibus legendis excitari atque expoliri qualicumque hac ostendere conabor commentatione, quum, quoad ejus per hujusce libelli angustias fieri licet, uberius explicare propositum mihi sit illum Ciceronis locum in Oratione pro L. Flacco, Cap. XXVI. „Adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortae atque in omnes terras distributae putantur: — quorum urbs auctoritate tanta est, ut jam fractum prope ac debilitatum Graeciae nomen hujus urbis laude nitatur.“ Quo in proposito exsequendo quanquam praeclare intelligo a mea quidem expositione nihil magnopere posse proficisci, quod doctos viros advertere novitate sua possit: tamen illud spero fore, ut hoc quidquid est libelli nonnihil faciat ad studiosorum juvenum animos sancta erga inventricem artium Graeciam, in quam nunc cum maxime omnium ora atque oculi conversi sunt, pietate imbuendos.

Quo magis excusationem confido neminem hujusce descriptionis conatui esse recusaturum.

Priusquam vero, secundum ista, quae modo attuli, Ciceronis verba, rem ipsam, expositionem de Atticis hominibus, tanquam gentium magistris, persequar, praemonenda pauca videntur de priscis illis sive Pelasgiis sive, ut proprie loquar, Ogygiis temporibus, quibus illi ipsi Attici, barbarie horrentes, ex agresti immanique vita ad humaniora studia eruditorum colonorum beneficio paullatim mitigati sint.

Etenim quo tempore haud exigua Asiae pars itemque Aegyptus, dudum collustrata sapientiae luce, laetissima artium incrementa ceperat, Europa universa barbariei caligine tenebrisque obscurata et contristata jacebat. Graeci igitur antiquissimi, ut alias Europae gentes praeteream, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum, sedibus incertis vagari, raptò vivere, eaque, quibus famelicitur, per caedem, patratris invicem latrocinii, quaerere, a vi frigoris ab impetuque ferarum vixdum bene se tutos praestare, ipsarumque ferarum instar digladiantium inter se libi-

dinum flatibus procellisque huc illuc impelli. Atque ita rem sese habuisse, et ratio ipsa fidem facit, ducta ex Americae praesertim populorum similitudine, et scriptorum quoque auctoritas confirmat.

Jam vero ubi ejusmodi vita agitur, ubi in diem vivitur, ac longe inter se distantibus locis homines vagantur venatum excurrentes aut inhiantes piscationi: ibi nec necessitati (cujus notionem variam quandam ac multiplicem ex meliori vitae, quam nosmet ipsi vivimus, conditione repetitam judicatamque volo) consultum videtur, nec decus parari potest nec jucunditas nec vitae cultus ullus. Alia igitur ineunda est ratio, quae revocet vagos palantesque, inque unum coire et eodem loco consistere suadeat.

Quod quidem, quanquam vel pastoralis vita propius ad humanitatem accedit, melius tamen fit agriculturae beneficio. Nam si discesseris ab iis terris, quae sua sponte incolas nutriunt, ceterarum omnium natura ita fert, ut vivi a nemine, nedum a multitudine uno eodemque in loco diutius possit, nisi subacto agro sementeque facta necessitatibus provisum fuerit. Agricultura au-

tem semel inventa nec reliqua vita diutius temere agitur efferaturque; sed una cum stabili domicilio conjugiorum vinculum nectitur, alendae educandaeque proli consulitur, et quae reliqua cultus domesticus utilia jucundaque habet. Ac Cecropem, prisco admodum aevo ex Saïtarum Aegyptiorum urbe Athenas delatum, harum rerum nonnihil monstrasse Atticis hominibus, quorum ipse regnum tenebat, ducta Agraulo Actaei regis filia, veteres memoriae prodiderunt scriptores, in quibus Justinus, L. II. 6, 7. haec facit verba: „Ante Deucalionis tempora (Athenae) habuerunt Cecropem; quem, ut omnis antiquitas fabulosa est, biforem tradidere, quia primus marem feminae matrimonio junxerit,“ cum antea ferarum instar promiscuis congressibus uterentur*). Ille

*) De antiquissimis gentibus barbaris Horatius haec dicit Satir. I. 3. 100 sqq.

„Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter Unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus; Donec verba, quibus voces sensusque notarent,

vero, id quod uberius exposuerunt Diodorus Siculus I. 28. Raoul - Rochette Histoire des Colonies Grecques I. p. 191 sqq. et Creuzerus Symbol. ac Mytholog. II. p. 35. 286. 391. 655. 727. ille igitur utique pro eo haberi debet, qui miseratus populi ad bestiarum conditionem abjecti, beneficiorum suorum memoria gratiam apud posteros invenit.

Ex Aegypto igitur qui primi in Atticam navigarunt coloni illam tum, quae Graeciam obsidebat, caliginem, ut mox clarius patebit, sacrae flammae igniculis dispulerunt, omniumque rerum speciem exhilararunt. Atque hoc loco admirari licet pieque venerari provida eademque sapientis-

Nominaque invenerere. Dehinc absistere bello,
Oppida coeperunt munire et ponere leges:
Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adul-
ter.

Nam fuit ante Helenam cunus teterrima belli
Causa; sed ignotis perierunt mortibus illi,
Quos venerem incertam rapientes more ferarum
Viribus editior caedebat, ut in grege taurus.
Jura inventa metu injusti fateare necesse est,
Tempora si Fastosque velis evolvere mundi.“

sima supremi rerum humanarum moderatoris consilia, quandoquidem impii ingrati que est animi fortunae temeritati tribuere, quod summi consilii divinaeque providentiae manifesta documenta habet. Sed longum est haec copiosius a me explicari; unde ad ipsam, de qua hic agitur, rem persequendam alacri progredior animo.

Jam vero ut concedimus, ex ista, de qua paullo ante dixi, barbariei illuvie Graecarum terrarum Sicyonem et Argos emersisse priores: ita Atticum solum maturius e ceteris eminit, meliorisque rationis semina et fidelius retinuit et feliciter nutrit et explicavit. „Primi (Athenienses), inquit Justinus L. II. 6. lanificii, et olei, et vini usum docuere. Arare quoque, et serere frumenta, glande vescentibus monstrarunt. Cui rerum scriptori consentit Isocrates, qui in Panegyrico Cap. V. p. 19. ed. Mor. Atheniensium urbem dicit τῆς — κατασκευῆς, ἐν ἣ κατοικοῦμεν, καὶ μεθ' ἧς πολιτευόμεθα, καὶ δι' ἣν ζῆν δυνάμεθα (i. e. per quam vitam vitalem sive vere humanam vivere possumus) σχεδὸν ἀπάσης αἰτίας. Addas licet omnium scriptorum gravissimum Thucydidem, in

prooemio I. 6. ubi Graeciae populi testari dicuntur, similia vitae instituta olim apud omnes obtinuisse. Omnium autem primi Athenienses dicuntur ferrum (quod adhuc semper gestari solitum) deposuisse et remissionem cultum secuti ad genus vitae lautius transiisse.

Praeterea consulas velim de frugum ab Atheniensibus antiquitus inventarum beneficio Diodor. Sicul. XIII. 26. p. 561. ed. Wesseling. Plinium in Epistoll. VIII. 24. et Heynium in Opuscul. Acad. I. p. 353.

Quae cum ita sint, recte ab Atheniensibus ortas Cicero fruges et, ut mox luculentius apparebit, in alias Graeciae terras distributas dicit. Hoc enim ipsum agriculturae beneficium, quo barbaris gentibus majus impertiri nullum potest, non jam ille dubia poetarum fide, sed certo historiae testimonio, Athenis Atticis, tanquam patrium nativumque, vindicare poterat. Verum enimvero, fruges ab Atheniensibus ortas cum dicit, non hoc idem ille dicit, ut eum, qui primus semina in Attico agro sparserit, neget haec ipsa asportasse aliunde, sponte ibidem nata

tantummodo coluisse arguat. Hoc dicit, quisquis undecunque semina acceperit, eundem, in Graecia certe, primum Atticis hominibus arationem boumque usum monstrasse cum vomere, vanno aliisque instrumentis aratoriis. Buzyges autem, Atheniensis heros, arationem omnium primus Atticis dicitur tradidisse, quod alii a Triptolemo, et ipso Atheniensi, factum referunt. Vide hac de re celeberrimi Heinrichii libellum de Epimenide, qui, ut Servius ait ad Virgiliti Georg. I. 19. postea Buzyges dictus est secundum Aristotelem.

Cererem vero, cum Proserpinam quaereret, Triptolemo illud artificium monstrasse communis fama ferebat, ut apparet ex his Ovidii, Metam. V. 645.

„Atque levem currum Tritonida misit in arcem
Triptolemo; partimque rudi data semina jussit
Spargere humo, partim post tempora longa recultae.“

Jam equidem hoc loco possem disserere copiosius et de agro Rhario (ubi prima messis facta) et de Triptolemo: sed recoquere nolo, quae de hoc argumento ab aliis viris me multo doctioribus exposi-

ta sunt, in quibus praecipue nomino Ruhnkenium ad Homeri Hymnum in Cererem v. 96. 450. 480. Heynium ad Apollodor. Observat. p. 27 sqq. ed. alt. porro Meursium in Eleusin. Attic. Lectt. et Athen. Attic. Sancto-Crucium sur les mystères Tom. I. p. 112. 124. 210 sq. et 265. ed. Silvestre de Sacy. et alios, in quibus prae ceteris consulendi sunt Boettigerus Imagg. in Vasis exhibitarum I. 2. Chateaubriand itinerar. Hierosolymit. Gallice script. p. 95 sqq. Pouqueville Voyage dans la Grèce. Paris 1820. Tom. IV. p. 118 sqq. et Creuzerus Symbol. ac Mythol. IV. p. 337 sqq. ed. alter.

Hos igitur scriptores adeant, qui plus de illo loco sihi dici cupiant. Ego autem hoc unum attingam, divino illo frugum munere fortunatam Atticam non ipsam solum insigniter floruisse, verum hoc ipsum agriculturae beneficium cum aliis quoque Graeciae populis communicasse. Hinc Isocrates, vir gravissimus, in Panegyrico cap. 6. p. 21. ed. Mor. ita: „Οὕτως ἡ πόλις ἡμῶν οὐ μόνον θεοφιλῶς ἔσχευε, ὥστε, κυρία γενομένη τοιούτων ἀγαθῶν, οὐκ ἐφθόνησε τοῖς ἄλλοις, ἀλλ' ὦν ἔλαβην, ἀπάσι μετέδωκε.“ Cujus benignitatis memoria celebrata etiam deinceps est, cum aliis rebus, tum eo,

quod ex ceteris populis multi quotannis frugum primitias Athenas mittere consueverunt.

Quanta vero pars universae humanitatis, quamque multiplex hac una agricultura contineatur, hoc ipso intelligitur, quod ab eodem, qui divinitus arationem monstrasset, sive Triptolemo sive Buzyge, eas leges esse sancitas ferebant, quos a natura ipsa latas diceres. Et erant in Buzygiis execrationibus, si Ciceroni, de Offic. III. 13. init. credimus, cum alia necessaria ad humanitatem, tum hoc duplex pronunciatum gravissime: „Sacer esto, qui erranti viam non monstrarit.“ „Sacer esto, qui inhumatum cadaver hominis neglexerit.“ Quid? quod eundem Buzygem, in extrema illa vetustate, sanctissimae etiam planeque divinae, quam ipsi profiteremur, doctrinae congruenter convenienterque, „alteri facere vetuisse quod sibi quis fieri nolit,“ memoriae prodidit Clemens Alexandrinus Strom. II. p. 503. 17. ed. Potter. — Quis igitur est, quin intelligat, verbum Dei semper esse idem, heri et hodie et in secula, nec aliud ullum inde a mundi principiis praeter Jesum Christum positum esse fundamentum?

Etenim salutaria illa vereque divina, quae modo attuli, praecepta mihi quidem manifesta primaevae religionis revelatae vestigia videntur retinere. Quae mea sententia auctoritate firmatur Creuzeri Symbol. ac Mytholog. I. p. XI. praef. ed. alter. qui locus sic se habet: „Meinen Hauptsatz aber halte ich in seiner ganzen Ausdehnung fest. Es ist die Grundlehre von einer anfänglichen reinen Erkenntniß und Verehrung Eines Gottes, zu welcher Religion sich alle nachherigen wie die gebrochenen und verblassten Lichtstrahlen zu dem vollen Lichtquell der Sonne verhalten.“ Addas licet doctissimum illum medicum, cum caduco corpore animos quoque immortales per summum medicum Christum recte curandos maximopere gestientem, Heinrothium in Anthropologia p. 327 et 339 sqq. cf. etiam quae admodum graviter de eodem argumento disputavit Tholuckius in Neander's Denkwürdigkeiten Vol. I. Berlin 1823. pag. 2.

Et revera apud omnes omnium temporum populos primaevae religionis prima vestigia, licet perversa, tamen servata, elucent. Non est, quod commonefaciam hujus lectores libelli anti-

quae illius Indorum doctrinae, ex qua hi unius Dei omnium supremi, quem Bramah vocant, in extrema jam vetustate conceperant notionem, itemque immortalitatem sive *παλιγγενεσίαν* stauerant, ut constat ex Clement. Alexandrin. Stromat. I. p. 559. ed. Potter. ubi legitur: „καταφρονοῦσι δὲ θανατοῦ· πείθονται γὰρ εἶναι παλιγγενεσίαν *). Quid dicam de celeberrimo illo Gymnosophista, Calano, qui referente Cicerone, Tusc. Disp. V. 27. II. 21. de Divin. I. 23. „ad mortem proficiscens cum inscenderet in rognm ardentem:

*) Cf. Magazin für die neueste Geschichte der evangelischen Missions- und Bibelgesellschaften. Vierten Bandes viertes Quartalheft. Basel 1819. Seite 626. ubi legitur: „Die indische Dreieinigkeitslehre vom Brahma, Wischnu und Siwa ist eine sichtbare Verirrung der christlichen Dreieinigkeitslehre, welche hier in geoffenbarten heidnischen Aberglauben gehüllt, vor unsern Augen auftritt, der aber höchst wahrscheinlich in ihrem ersten Ursprung richtige Begriffe von Dreieinigkeit zum Grunde gelegen haben mögen. Tiefere historische Untersuchungen dürften vielleicht interessante Beiträge für die Behauptung liefern, daß diese Grundzüge des Hinduismus, so wie aller asiatischen Religionen, als ausgeartete und verwilderte Kinder des alten Offenbarungsglaubens zu betrachten sind, der jetzt in seiner unverfälschten Lauterkeit diesem grossen Welttheile wieder gegeben werden soll.“

O praeclarum discessum, inquit, e vita, quum, ut Herculi contigit, mortali corpore cremato, in lucem animus excesserit.“ — Ceterum de Indorum antiquissima sapientia cf. Fr. de Schlegel in libro praestantissimo: Ueber die Sprache und älteste Weisheit der Indier. Heidelberg, 1808. praeterea Montesquutius de l'Esprit des Lois liv. XIV. ch. 5. nec non Falconer in opere Anglico: Remarks upon the influence of climate etc. Praestantissima est de hoc argumento quae ibi reperitur disquisitio, inde a pag. 185 — 235.

Quid, ut illuc redeam, de Aegyptiis dubitamus? quorum sacerdotes unius Dei religionem, plurimis superstitionibus quamvis corruptam, animo fovisse, patet luclenter ex his verbis, Saïtarum templo inscriptis: Ἐγὼ εἰμί πᾶν τὸ γεγονὸς καὶ ἔν καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδεὶς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν.“ Cf. Plutarch. de Is. et Osir.

De Persis porro dicit Herodotus, I. 131. „οὐκ ἀνθρώποφύεας ἐνομίσαν τοὺς θεοὺς, κατὰπερ οἱ Ἕλληνες, εἶναι.“ Quid? quod narrante Cicerone, de Legg. II. 10. „Magis auctoribus Xerxes inflammasse templa Graeciae dicitur, quod (Graeci) parietibus includerent Deos, quibus omnia debe-

rent esse potentia ac libera, quorumque hic mundus omnis templum esset ac domus.“

Idem fere de Germanis narrat Tacitus, de Morib. Germanorum cap. IX. ubi legitur: „Ceterum nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem adsimulare, ex magnitudine coelestium arbitrantur. Lucos ac nemora consecrant“ (Herodotus de Persis: ὑψηλότατα τῶν οὐρέων) „Deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident.“

Atque hoc loco in mentem mihi veniunt quidam Americae septentrionalis populi indigenae, dicti Kikapoo's, Kansa's, Osages, qui ex descriptione reperta a me in libro eximio: Mithridates von Adelung und Vater, Tom. IV. p. 326. Germanis antiquissimis simillimi videntur.

Gronlandii tamen (vid. Cranz Geschichte von Grönland, Abschnitt V. VI. secundum Herderum, Ideen, Thl. II. S. 136—137) igitur Gronlandii plane contra sententiam reliquorum populorum campos Elysaeos in imis maribus collocant, Orcum vero in superioribus mundi partibus, in coelo stellisque quaerunt.

Manifesta vero vestigia et primaevae religionis et aureae illius catenae, qua genus humanum cum Deo, auctore suo, conjunctum fuerat, funesto in paradiso lapsu discissae, retinet prae ceteris illa de Ossa et Pelio fabula, ex qua, quum Titanum et Gigantum genus scelesto impetu Olympum evertere conaretur, altissimos montes summus deorum pater et hominum in vesanos illos devolvit. Etenim quis mortalium, qui semel apertis semet ipsum oculis intuitus est, non intelligat, veterum poëtarum gigantibus miseros nos adumbrari homines, qui, lege divina contempta, ut, tanquam *αὐτοκράτορες*, Deo evadamus similiores, novam ipsi nobis condituri, in hanc nostram detrusi sumus miseriam, ubivis terrarum conspicuam, ita quidem, ut *στεναγμοὶ ἀλαλήτοι **) ex plus mille concussis animis in dies mittantur ad superos **).

*) Cf. Scriptura, ad Roman. 8. 26.

**) Quid sub ejusmodi fabularum involucris et quasi integumentis lateat, enim non fugiet, qui profundius aliquanto in antiquitatis disciplinam penetraverit. Temperare mihi non possum, quin luculentum in hanc rem Horatii ex Carmm. III. 4. 42 sqq. locum excitem; qui locus sic se

Verum enimvero descendit de coelo omnipotens medicus ad sublevandum gigantem humi

habet:

— — „Scimus, ut inpios
 Titanas inmanemque turmam
 Fulmine sustulerit caduco,
 Qui terram inertem, qui mare temperat
 Ventosum, et urbes regnaque tristia,
 Divosque mortalesque turbas
 Imperio regit unus aequo.
 Magnum illa terrorem intulerat Jovi
 Fidens, juvenus horrida, brachiis,
 Fratresque tendentes opaco
 Pelion inposuisse Olympo.
 Sed quid Typhoeus et validus Mimas,
 Aut quid minaci Porphyrion statu,
 Quid Rhoetus, evolsisque truncis
 Enceladus, jaculator audax,
 Contra sonantem Palladis aegida
 Possent ruentes? Hinc avidus stetit
 Vulcanus, hinc matrona Juno, et
 Nunquam humeris positurus arcum,
 Qui rore puro Castaliae lavit
 Crines solutos, qui Lyciae tenet
 Dumeta natalemque silvam,
 Delius et Patareus Apollo.
Vis consili experta mole ruit sua!
Vim temperatam Di quoque provehunt
In majus; idem odere vires
Omne nefas animo moventes.
 Testis mearum centimanus Gyges
 Sententiarum, notus et integrae

prostratum. Pretioso, quem ille in tristi ligno effudit, sanguine fomentum nobis paravit, quod vel miserrime decumbentes, si illi soli confidamus, in aeternum sanare poterit. Incredibile tamen est dictu, quanta vulneribus aegros teneat coecitas, quominus ipsis affulgeat lumen evangelii, in quo splendor Christi est conspicuus, qui Dei refert imaginem. Incredibile est dictu, quam occoecati sint lapsorum hominum oculi, ita ut vulnus, tanquam in fatali cum Deo suo pugna victores exstiterint, aliorum oculis ovantes obtudere, quam sanari malint. Plerique vel integros se proelio evasisse gloriantur; plurimi autem nullum unquam tale proelium commissum, stupenda sane tam imprudentia quam impuden-

Tentator Orion Dianae,
 Virginea domitus sagitta.
 Injecta monstris Terra dolet suis,
 Maeretque partus fulmine luridum
 Missos ad Orcum. Nec peredit
 Inpositam celer ignis Aetna;
 Incontinentis nec Tityi jecur
 Relinquit ales, nequitiae additus
 Custos; amatorem trecentae
 Pirithoum cohibent catenae.“

tia inlecti, enixe contendunt. Quae cum ita sint, summopere precemur, ut, quod est apud Horatium Carmm. I. 34., parci isti deorum cultores et infrequentes, insanientis dum sapientiae consulti errent, retrorsum aliquando vela dare atque iterare cursus cogantur relictos, de die, de nocte, etiam atque etiam, animo volventes aureum illud, quod Phocensis templi frontem ornavit, Γυῶ-
 ϑι σεαυτόν. Nae sanctior quaedam manus, quam quae fallacem illum Pythii tripodem intus constituit, duas hasce voces marmori, quod delubri frontem decoraret, incidit. Scilicet ut miseri, illic malorum opem quaerentes, priusquam intrarent, semet ipsos introspicerent et, ineffabili sua corruptione funditus tandem perspecta, aliam firmiorem medelam impetrarent, quam quae ab illo Apolline exspectanda esset.

Jam equidem hoc loco, quum, ipsa monente Scriptura, 2. ad Tim. 4, 8. Christum tradere nullo tempore intempestivum putandum sit, atque summus ille pontifex, ut apparet ex Apoc. 1, 6, omnes nos, sanguine suo a peccatis immunes, sacerdotes dicaverit patri suo, ut, secundum verba Jesaïae 61, 6. summo nostro jure

sacerdotes Jehovae dicamur iidemque Dei ministri, hoc igitur loco latius evagari possem atque ostendere, quam sola recta sui cognitione via pateat ad Christum et per illum in coelum. Sed avocant me ab eo consilio hujus libelli angustiae, quae me, unde digressus sum, eo jubent redire, quum propositum mihi sit uberius aliquanto exponere illum, quem supra laudavi, Ciceronis locum: „Adsunt Athenienses, unde humanitas *), doctrina, religio, fruges, jura, leges ortae, atque in omnes terras distributae putantur,“ et quae sequuntur.

Et revera non vita solum Athenis primum emendata est cum publica tum privata, sed ea

*) Humanitas, de qua hoc loco Cicero loquitur, ob ea, quae sequuntur (opponitur enim immanitati), est illa animi morumque conformatio universa, qua homo quasi magis homo existit, notatque eam mansuetudinem urbanitatemque, quae doctrina, legibus, religionibus etc. efficitur, contineturque omnibus iis rebus, quae hominum vitam cultiorem suavioremque et elegantiorum reddunt. Cf. Nepos in Attico c. 3. fin., ubi iidem de Athenis sermo est, humanitati que subjicitur doctrina. Aliis in locis, ubi literae junguntur voci humanitatis; haec ipsa solum urbanitatem significat, vel leporem, ut Verrin. Or. III, 4. Plura dabit Ernestus Clav. Cic. v. humanitas fin.

quoque tradita sunt, quae hujus vitae terminos excedunt et perennia habentur. Atque hic temperare mihi non possum, quin afferam alium praeterea Ciceronis locum, de Legg. II. 14., ubi huic viro, at quali quantoque omnis humanitatis arbitro, cum multa eximia divinaque videntur Athenae illae peperisse, inque vitam humanam adtulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculi ad humanitatem et mitigati fuerint populi, quae initia ut appellentur, ita revera principia vitae cognita sint, quibus non solum cum laetitia vivendi rationem acceperint populi, sed etiam cum spe meliore moriendi. Jam, ubi tantus vir ejusmodi verba fecit, non erit, quod ego copiosius exponam de mysteriorum primordiis in Attica, de immortalitate in mysteriis tradita, de religionum efficacitate in erudiendis gentibus antiquissimis. Ceterum haud ignoro fuisse, qui a mysteriis reprehendendi ansam arriperent; neque vero is sum, qui negem impurorum hominum flagitiosam perversitatem posteriore aetate, ut haec instituta, ita reliquam religionem ad omnem nequitiam deflexisse atque detorsisse.

Verumtamen illud negari nequit, saniore disciplina rei Atheniensium publicae prospectum fuisse, ut his ipsis praeceptionibus ii, qui mentem sevocare a contagione corporis possent, de maximis rebus meliora edocerentur.

Ac prisco admodum aevo saniozem aliquam in Attica viguisse doctrinam, apparet etiam ex Cereris atque Minervae religionibus. Per illam enim eruditiores Atheniensium almam illam rerum parentem naturam declarari volebant, quae, sicut terrae gremio condita semina intus suscipiat alatque, editaque in lucem et virescentia paulatim ad maturitatem perducatur, ita hominum vitae mortique praesit, quos ea nunc in terram cadentes recipiat, nunc proferat rursus et corporibus induat, alternas obeundi redeundique vices, ipsa semper eadem, lustrans et dirigens. Cui deae arcissimo necessitudinis vinculo cohaerebat Minerva illa intacta, et belli consilio arteque gerendi et artium quoque pacis praeses; cujus religionibus eruditiores rationem colebant, quae, ut illa edita ferebatur e Jovis regis capite, sic et ipsa tanquam regina rebus omnibus moderetur; positaeque in excelso quasi et semper quieto cacu-

mine nunquam conturbetur, nec tempestatum impetu, nec violentia cupiditatum concreto corpori continenter obnoxiarum: neque magis rerum extrinsecus oblatarum varietate huc illuc feratur et aliunde pendeat, sed intus suscepta cogitatione agendi leges ex se ipsa repetat; et stabilis immotaque velut ab excelsa specula collustret suo lumine omnia, rerum humanarum omnium moderatrix immanitatisque expultrix. — Quibus deabus commissa et subjecta quum esset civitas Attica, huic primum, ut Ausonii verbis (in Catalogo Urbium) utar, contigit paciferae arbor olivae, eademque illa reliquis Graeciae urbibus in omnibus rebus longe antecelluit, teste Herodoto I. 60. et Dicaearcho p. 10. his verbis: „ὅσον αἱ λοιπαὶ πόλεις πρὸς τε ἡδονὴν καὶ βίου διάρθωσιν τῶν ἀγρῶν διαφέρουσι, τοσοῦτον τῶν λοιπῶν πόλεων ἢ τῶν Ἀθηναίων.“ Et vero, quantum valuerint Athenae ad emendandos ineptorum mores, castigandamque vitae rationem, hoc ipso intelligitur, quod eadem illae ab Apolline Pythio κοινὴ ἐστία τῆς Ἑλλάδος *), a Pindaro **) modo Ἑλλάδος ἔρεισμα,

*) Vid. Athenaeum Lib. VI. cap. 65.

**) Vid. Schneider. ad Pindari Fragm. ex Dithyramb. X. p. 74 sq. ed. Heyn.

modo λιπαραὶ καὶ ἰστέφανοι Ἀθᾶναι, a Pericle apud Thucydidem II. 41. τῆς Ἑλλάδος παιδείσεις, a Sophocl. *) Ἑλλάδος Μουσεῖον, a Theopompo πρυτανεῖον τῆς Ἑλλάδος, commune autem gentium παιδευτήριον a Diodoro Siculo **) sunt vocatae.

Neque vero, ut ad prisca illa tempora revertar, Aegyptus solum religionibus suis aliisque institutis incolas Atticae terrae ab agresti illa immanitate ad mitius mansuetiusque vitae genus revocavit, verum Thracia quoque suavissimis sacrorum vatum carminibus contulit ad feroces priscorum Atticorum animos ad humaniora studia mitigandos emolliendosque. Quanquam enim in Thracii illius Orphei rebus, bestias, rupes nemoraque trahentis ***) , simul atque fides blandis impellere digitis coeperit et dulcissimam vocem explicare, plurima propius absunt a poetarum ludibriis, quam ab auctoritate historiae: illud ta-

*) Cf. Oedip. Colon. 58.

**) Vid. Diodor. Sic. L. XIII. 27.

***) Horat. de Arte Poëtica, v. 390 sqq.

„Sylvestres homines sacer interpresque deorum
Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosque leones.“

men ex istis fabularum involucris et quasi integumentis conjiciendo licet eruere, viguisse in Thracia sanctiorem aliquam disciplinam, quae conjuncta cum primaeva religione et poësis legibus adstricta in Atticam usque propagaretur, ibique per manus quasi tradita, praesertim in gente Eumolpidarum, saniora multa, quam quae vulgaris cultus haberet, posteritati eruditae traderet. — Quo de argumento uberius exposuit eruditissimus Creuzerus in *Symbol. ac Mytholog.* III. pag. 143 sqq. et IV. p. 340 sqq. et p. 355.

Cretensium praeterea respublica, quae jam pridem meliore civilis disciplinae ratione floruerat, quantum ad erudiendas Athenas valuerit, non licet certa fide historiae firmare, quanquam Plutarchus (in Solone p. 84. D) Epimenidem, a Creta oriundum arcessitumque Athenas in civili discordia, nonnullis praeceptionibus suis Solonis legibus perhibet salubriter munivisse viam.

Atque ita Atheniensium urbs, in quam, patientem ad mare opportunissimo appulsui, ex eruditioribus populis et maturius aliquanto et multo crebrius, quam in reliquis Graeciae urbes, advenerant, qui bona sua cum ea civitate commu-

nicarent, peregrinorum artes in suam rem convertit, et laetiora in dies humanitatis incrementa cepit. Sed hoc loco mirari licet felicem Atticorum indolem, quae ab exteris tradita initia artium ita effingeret erudiretque, ut eae non adventiciae neque aliunde quaesitae, sed in Attico solo genitae viderentur. Sic, ut hoc utar, Daedalus ille humani corporis imagines, quae Aegyptiorum more adhuc in truncos desierant vel compressis pedibus steterant, jam sejunctis traditur exhibuisse, ut incedere diceres. Rem discas ex Plinio VII. 56. 57. cui addas licet Diodor. Sic. IV. 76 *).

Et quemadmodum Atticorum ingenium, ut supra dixi, ex ferina illa immanitate ad humaniora studia eruditorum colonorum beneficio mitigatum erat: ita eodem beneficio Attici homines alias postea gentes affecerunt. Constat enim, cum

*) De Daedalis et Daedaleis consule praeterea Friedr. Thiersch: Ueber die Epochen der bildenden Kunst unter den Griechen I. p. 10 et p. 23 sqq.; de artificum vero antiquissimorum omnium indole ac ratione Leonard de Klenze in Boettigeri Amalthea.

post Codrum Athenis regnari nolissent, Neleum Androclumque, hujus filios, coloniam Jonum ex Attica deduxisse in eam Asiae partem, quae, ab his Jonia appellata, opum rerumque bonarum omnium beatissima copia effloruit, atque, ut hoc unum commemorem, magnum illum omnibusque seculis admirandum Homerum Homeridasque et elegiaci carminis inventorem, Callinum Ephesium, protulit *). Cujus demigrationis quum et consilium meum et ipsa hujus libelli ratio ampliore prohibeat expositionem, ii, qui plus de coloniis Jonicis sibi dici cupiant, adire velint Raoul-Rochette Histoire de Colonies Grecques Tom. I. 2. III. 75 sqq. et Rambachii Comment. de Mileto ejusque coloniis. Halae Saxon. 1790 praeterea Frid. Munteri Comment. Eine Beilage

*) Callinum Ephesium, haud paullo antiquiorem Archilocho ac Tyrtaeo Atheniensi, post epicam poësin ad summum ab Homero fastigium eductam immutando metro heroico elegiaci generis inventorem exstitisse, eoque facem praetulisse omnibus, qui nova deinceps metra excogitarent, certissimis docuit argumentis Jo. Valent. Franckius, vir praestantissimus, in libro eximio, qui inscribitur: Callinus sive quaestionis de origine carminis elegiaci tractatio critica. Altonae et Lipsiae MDCCCXVI.

zu Hegewisch über die Colonien der Griechen. Altona 1818 p. 4 sqq.; ubi hic vir doctissimus etiam Phocaeae aliarumque Joniae civitatum res attigit.

Singulae vero Jonicae, in quibus prae ceteris excelluit Miletus, civitates, junctae necessitudinis vinculo, suo quaeque loco modoque laetissima humanitatis incrementa ceperunt. Neque tamen ulla harum civitatum tam firmiter fundata legibus tamque salubriter temperata, quam ipsae Athenae, ex quo his praesesse coeperat Solon, cujus quanta fuerit sapientia, et illud loquitur, quod in septem sapientum numero est, et multo magis ex eo efficitur, quod, quum judice Herodoto I. 60. omnium populorum prudentissimi Graeci haberentur, in Graecis autem longe eminenter prudentia Attici, ipse, ut ait Cicero pro Roscio Amerino c. 25., omnium Atheniensium prudentissimus et esset et diceretur. At Solon suis legibus, dicat quispiam, summam rerum penes populum esse voluit, id quod sanae rationi plane probari nequit, quandoquidem *)

*) Qua de re bene monuit Hume, History of England, cap. 71.

inter eos populos, qui libertate gaudent, stabilis ac diu sibi constans imperii forma vix reperitur, liberarumque civitatum mutua contentio ac emulatioque non vehementissimas modo turbas internas trahit, sed crudelissima etiam bella. Nempe non nego, ita rem sese habere, omninoque amplector, quod Homerus egregie dicit, *Iliad. B. v. 204*:

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίῃ· εἰς κοίρανος ἔστω.

Quamquam excusari quodammodo debet Atheniensium legislator dira temporum necessitate, quae summo loco regnat, ut praeclare ait Sophocles in *Electra v. 75 sq.*

— — *καιρὸς γὰρ, ὅσπερ ἀνδράσι
μέγιστος ἔργου πάντος ἐστ' ἐπιστάτης.*

et Aeschylus in *Prom. vincito v. 514.*

τέχνη δ' ἀνάγκης ἀσθενέστερα μακροῦ.

idemque *v. 517.*

τούτων ἄρα Ζεὺς ἐστὶν ἀσθενέστερος,

(quippe *Μοιρῶν*)

Eodem pertinent quae nuper admodum graviter hoc de argumento disputavit Gustavus Ewers, vir illustrissimus, in libro praestantissimo: *Politik in Andeutungen. Dorpat 1829. cap. III. pag. 52.* ubi legitur: „Für das alte Perserreich würde

eine republikanische Regierungsform sich wohl eben so wenig geeignet haben, als für die Griechischen Republiken jener Zeit eine Persische Cabinets- und Satrapen-Regierung.“

Quae quum ita sint, illud certe justus quisque rerum iudex arbiterque maximae Soloni ducet laudi, quod Atheniensium civitatem, quam constat (ex Heraclide Pontico *Fragmm. de Rebus Publicis cap. I.* ex Plutarcho et Diogene Laërt. in *Vitis Solonis*), mortuo Codro, rege Atheniensium ultimo, varie usam Archontibus et factionibus agitatum, in diversas partes discessisse, (cui malo suis legibus Draco frustra mederi studuerat), non modo prudentissime administravit inque meliorem formam redegit, verum etiam, ut Justini verbis utar (*L. II. 7.*), tanto temperamento plebem inter senatumque egit, ut ab utrisque parem gratiam referret. Accuratius in Solonis leges inquirere vetat hujus commentationis indoles. Illud teneri volo, a prudentissimis hominibus, tum patrum tum nostra memoria, humanitatis plenissimas easdem judicatas fuisse, sive publica disciplina spectetur sive privata. Cujus humanitatis exemplum est lex: *τοὺς ζένοὺς μὴ*

ἀδικεῖσθαι, referente Xenophonte Memorabil. Socrat. II. 1. 14. Ac profecto in illis Atheniensium virtutibus eminuit praecipue humanitas erga peregrinos; ut etiam Pericles apud Thucydidem hoc nomine cives suos dilaudet, eosque neminem quemquam a suae disciplinae elegantiaeque fructu arcere profiteatur; sive, ut ipsis Periclis ap. Thucyd. II. 39. verbis utur: τὴν τε γὰρ πόλιν κοινὴν παρέχομεν, καὶ οὐκ ἔστιν ὅτε ξηνηλασίας ἀπέτεγγόμεν τινα ἢ μαθήματος ἢ θεάματος.“ Et Cicero, Atticae humanitatis sensu imbutus a tenero, in libro de Officiis III. 6. ita: „Qui autem civium rationem dicunt habendam, externorum negant, hi dirimunt communem humani generis societatem; qua sublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, justitia funditus tollitur. Quae qui tollunt, etiam adversus deos immortales impii judicandi sunt.“ Longum est neque necesse exponere de Atheniensium Φιλανθρωπία, Φιλοξενία, de eorundem aris Misericordiae, Pudoris, Famae, Alacritatis; nec recoquere volo, quae copiosius hoc de argumento disseruerunt Pausanias I. 17. init. Clemens Alexandrin. Strom. II. p. 400. V. Aelian. Var. Hist. V. 18. et Winkelmannus

Geschichte der Kunst II. p. 10. ed. nov. Dresd. Illud attingam, nullam unquam Graeciae civitatem pauperum necessitatibus tam diligenter consuluisse, quam Athenas. Nam sicut Solon noluit quemquam desidia languere, eique vitio etiam, ut constat ex Herodoto II. 177. occurrerat γραφῆ ἀργίας: ita humanissime voluit subveniri iis, qui cum secunda fortuna digni essent, ea uterentur adversa. Quis nescit illas ἐταιρείας, sive sodalitates, quae non modo conviviorum caussa jungebantur, sed eo etiam consilio, ut se invicem adjuvarent sodales. Quarum sodalitatium vestigia quaedam ad Byzantinorum usque adeoque ad Constantinopolis Turcarum, qualis hodie est, tempora pertinuisse, conjicias fortasse, si legeris quae graphice descripsit Jos. de Hammer in egregio libro: Constantinopolis und der Bosphoros. Ad illas sodalitates pertinebat ἔρανος, stips collatitia, quae ea lege conferebatur, ut si rursus emersisset, qui acceperat, quantum illi erogatum erat, tantundem restitueret. Qua de re praeclare disseruit Boeckhius, vir clarissimus, in libro: Staatshaushaltung der Athener I. p. 264. Nec in ulla alia urbe Graecorum publi-

ce subveniri solitum fractis corpore et caussariis constat, nisi Athenis. Et mirabimur, Cicero-
nem in Oratione pro Flacco hanc urbem humani-
tatis dixisse procreatricem et commendatricem?
Cui quidem dicto quantum absit, ut reliquis suis
dictis oppugnarit, e plurimis unum illud exem-
plo sit, quod ille in libro, qui inscribitur Cato
Major, prooem., Pomponium Atticum non co-
gnomen solum Athenis deportasse dixit, verum
humanitatem etiam atque prudentiam. Sed quan-
late quamque utiliter humanitatem suam propa-
garint Athenae, mox clarius patebit.

Atque hoc loco non possum, quin iterum
afferam illum Isocratis locum in Panegy. cap. 6.
p. 21. ed. Mor.: „ἡ πόλις ἡμῶν οὐ μόνον Θεοφιλᾶς,
ἀλλὰ καὶ Φιλανθρωπῶς ἔσχεν, ὥστε, κυρία γενομένη
τοιούτων ἀγαθῶν, οὐκ ἐφθόνησε τοῖς ἄλλοις, ἀλλ'
ᾧ ἔλαβεν, ἅπανσι μετέδωκε.“ Quae Φιλανθρωπία
etiam comparuit, quum Romani Athenas misis-
sent oratores, qui ejus civitatis leges arcesserent;
id quod memoriae prodiderunt Plinius Epistol.
L. VIII. ep. 24. Cicero pro Flacco 26. Diony-
sius Halicarnassensis L. X. Livius L. III. et Si-
lius Italicus L. XIII. Unde factum est, ut, post-

eamque Roma gentium domina evasit, Attico-
rum respublica universum orbem terrarum legi-
bus suis teneret quodammodo; quanquam negari
nequit, Romanos posteriore tempore palmam in
jure excolendo et Graecis praeripuisse et reliquis
antiquitatis populis omnibus. Quapropter tem-
perare mihi non possum, quin hoc loco de eo,
quod inter jus Graecum Romanumque intercedit,
discrimine paucis exponam. Et primum quidem
tenendum videtur, Graecos, quorum vita et co-
gitatio in amplectenda venustate et gratiosa qua-
dam virtute (καλοκαγαθία) occupata esset, ut re-
liqua omnia, ita jurum quoque discrimina in
pulcherrimam conjunxisset harmoniam. Itaque
non solum variae admodum imperii formae,
quas juris Graeci historia prae oculis nostris ponit,
ad unam redeunt concinnitatem, sed commixtum
etiam et vinculo quasi poetico copulatum est jus
publicum cum jure privato. Qua de re verissime
disputavit E. Gansius in libro ingeniosissimo,
cui inscriptum est: Das Erbrecht in weltge-
schichtlicher Entwicklung, eine Abhandlung
der Universalgeschichte. Berlin 1824. Bd. I.
p. 284. Addas licet Fr. Wilh. Tittmann: Dar-

stellung der griechischen Staatsverfassungen. Leipzig 1822. p. 520 sq. Etenim jus publicum omnia privatorum jura hunc in modum amplexa est, sibi que conciliavit, ut vita mere privata nulla, ideoque jus privatum inter Graecos paene nullum esset. Unde Tittmannus l. l. p. 561. ita: „Das Leben der Einzelnen ging zu einem grossen Theile auf in dem Interesse des Staates.“ Accedit, quod Graeci arduo opere, quale est pusilla et minutissima quaeque vitae communis negotia dispungendi et sigillatim ordinandi munus, non ita vehementer delectabantur. Quodque ita esse, ostendit clarissimus Platnerus, quem hoc nomine alius vir (vid. Jean Paul Vorschule der Aesthetik, Programm III. §. 11.) argumento perperam a poësi Graecorum modestissima repetito reprehendere conatus est (in Leipz. Litteraturz. v. 1826. no. 13. p. 99).

Apud Romanos contra in locum poëticae illius variorum jurum unitatis, quam in Graecia animadvertere licet, jam successit infinita singulorum a singulis separatio, quae non nisi rationis unum ex altero derivantis mirumque in modum nectentis ope ad conspirationem quandam redu-

cebantur *). Quamquam vero Romani strenua illa juris in partes suas separatione primi excellerunt, tamen in jure privato tantum toti fuere, jus publicum minus felici studio colentes. Hinc ea historiae Romanae periodus, quae splendidissimum jurisprudentiae florem in se continet, tempus est juris mere privati **). Prima enim post reges ejectos historiae Romanae periodus principii orientalis cum occidentali pugnam repraesentat ***), quae quidem in perpetua ista et mutua Patriciorum et Plebejorum impugnatione cernebatur. Quae igitur de jure privato sanciebantur, hoc solo respectu sanciri solebant. Postquam autem utrorumque infesta libertas Imperiali interveniente potestate evanuerat, ad aequalitatemque igitur et consociationem fuerat perducta, tunc demum ingenium Romanorum, quod ipsius proprium erat et peculiare, libere et tranquille

*) Vid. Gans Erbrecht Tom. II. p. 25. Tom. I. p. 291. cf. etiam Wachsmuth, die ältere Geschichte des röm. Staats. p. 165. nec non Niebuhr's Histor. Roman. Germanice script.

***) Vid. Gans l. l. Tom. II. p. 26.

***) Cf. Gans l. l. Tom. II. p. 24. 25.

persequi poterat; unde ab eo inde tempore jus privatum, uti debuit, summum fastigium ascendit.

Contrarium plane adspectum nobis praebet jurum in Oriente natorum historia*). Dum enim Athenis legum antiquatarum cum novis iisque

*) Cf. Hippocrates, *περί αἰθρών, ὑδάτων, τόπων*, cap. XXXIX. Livius L. XXXVI. Aristotel. Polit. III. 15. Strabo L. VII. porro Apollonius apud Philostrat. — Montesquieu de l'Esprit des Lois L. V. ch. 15. XVII. ch. 1—6. XIV. ch. 4. William Falconer, Remarks on the influence of climate etc. p. 163—169. Eduard Gans, das Erbrecht in weltgeschichtlicher Entwicklung, Bd. I. p. 62 sqq. Bd. II. Berlin 1825. p. 20 sqq. Praeterea Fr. Ancillon, vir summus, in libro praestantissimo, qui inscribitur: Zur Vermittelung der Extreme in den Meinungen. 1 Th. Berlin 1828. praeclare dicit: „Dafs eine rastlose, fortschreitende, sich stets erneuernde, bald zerstörende, bald schaffende Bewegung der Hauptcharacter von Europa ist; dafs die Ruhe, eine ununterbrochene, immer wieder zurückkehrende, sich immer von selbst wiedererzeugende Ruhe, das Characteristische von Asien sei, ist unlängbar. Wenn ich von der Bewegung hier rede, so gilt es nicht diejenige, die aus dem Wechsel der Begebenheiten entsteht: denn Asien hat, wo nicht mehr, doch gewifs eben so viele und so große Begebenheiten erlebt, als Europa; aber ich rede von der Bewegung der Ideen, der ästhetischen und wissenschaftlichen Cultur, der Gesetze, der Sitten, der Verhältnisse, und so auch von der Ruhe und dem Stillstande derselben.“

melioribus commutandarum cura penes mille νομοθέτας, legum autem exsequendarum officium penes νομοφύλακας erat *): in omni fere Asia e contrario legislatio, suffulta communi animorum servitute, tam stabilis erat, ut progressus pacis nullos haberet **), nec quidquam a tyrannorum

*) Vid. Potter's griechische Archaeologie, übersetzt von Rambach, Thl. I. p. 164.

**) Quanquam clarissimus summeque venerandus Villers, Gallicus homo, totius generis humani cultum existimans nunquam esse regressurum, sed longius usque progressurum, egregie dicit in Essai sur l'Esprit et l'Influence de la Réformation. Paris 1808. p. 12: „Peut-être que le phénomène géométrique de l'asymptote doit se répéter dans le monde moral, et qu'approchant sans cesse d'un point de rencontre sur la courbe, nous ne l'aborderons jamais.“ tamen Herderus (Ideen, Thl. III. Seite 55) considerato illo omnium fere, quae ad humanitatem pertinent, artium torpore, in plurimis Orientis populis ab antiquis inde temporibus ad nostrum usque aevum conspicuo, haec facit verba: „Wenn unser Geschlecht bestimmt ist, auf dem ewigen Wege einer Asymptote sich einem Punkte der Vollkommenheit zu nähern, den es mit aller tantalischen Mühe nie erreicht: so laßt ihr Sinesen und Japanesen, ihr Lama's und Bramanen, euch den unerreichbaren Punkt nicht kümmern, und bleibt, wie ihr vor Jahrtausenden waret.“ Idem vir l. l. Tom. III. p. 376. ita pergit: „Kein Zweifel indels, dafs überhaupt, was auf der Erde noch nicht geschehen ist, künftig geschehen wird; und es ist keine Schwärmerei, zu hoffen, dafs, wo irgend

impotente arbitrio liberum esset. Unde factum est, ut Aegyptus, quae Persarum vim avertere

Menschen wohnen, einst auch vernünftige und glückliche Menschen wohnen werden: glücklich, nicht bloß durch ihre eigene, sondern auch durch die gemeinschaftliche Vernunft ihres ganzen Brüdergeschlechts.“ Peculiaris vero, quam plurimi Orientis populi prae se ferunt, indoles praecipue e religionum, quarum cultui post funestum illum in paradiso lapsum Asiatici fere dediti fuerunt atque nunc sunt, praeceptis recte explicari videntur. Quapropter non possum facere, quin huc referam alium praeterea Herderi locum (Ideen, Th. III. Seite 151): „Die alten Staatsverfassungen sahen sehr auf Bildung der Sitten durch die Erziehung, da von dieser Triebfeder ihre ganze innere Stärke abhing; und da es für die Kindheit keine wirksamere Triebfeder als Religion giebt, so waren die meisten alten, insonderheit asiatischen, Staaten mehr oder minder theokratisch. Es ist wahr, daß diese Regierungsform der Kindheit unsers Geschlechts nicht nur angemessen, sondern auch nothwendig gewesen, aber drückend wird auch die beste Einrichtung in wenigen Geschlechtern, hinfällig ist alles Menschenwerk. Also ist's mit der Theodicee Zoroasters, mit der politischen Moral des Confucius, den Lehren der Bramanen, der Talapoinen, und was sich sonst auf uralte Menscheneinrichtungen stützen möge. Die Tradition ist eine an sich vortreffliche, unserm Geschlecht unentbehrliche Naturordnung; sobald sie aber alle Denkkraft fesselt, allen Fortgang der Menschenvernunft und Verbesserung nach neuen Umständen und Zeiten hindert: so ist sie das wahre Opium des Geistes, sowohl für Staaten, als für Secten und einzelne Menschen. Asien hat von diesem süßen

non potuisset, obscurata jaceret, quoad a Graecis restituta Graecarum lumine litterarum rursus illustraretur.

Gifte viel gekostet; große Staaten und Secten schlafen in ihm, und harren schlummernd, bis ihr Erwecker kommt.“ Haec ille. Ego autem nullus contendere dubito, Asiae civitates, pessima lue deformes et mortis umbra offusas, non nisi amplectendae sanctissimae planeque divinae religionis Christianae beneficio in meliorem redigi posse formam. „Denn“ (ut iterum Fr. Ancillonii, viri illustris, verbis utar, in libro: Zur Vermittelung der Extreme in den Meinungen etc.) „wo die Gesetzgebung sich auf eine solche Religion, wie die Mahomedanische (ferner die Braminische, Lamaische etc.), gründet, oder vielmehr mit solchen zusammenfällt; wo die Polygamie die physische und moralische Ausartung herbeiführt; wo auf den religiösen und häuslichen Despotismus sich der politische stützt etc.: da darf und will, und kann man sich nicht frei bewegen.“ Nil mirum igitur est, Japanenses, Chinenses, Indos, Arabes Beduinos cet. moribus uti, ab antiquissimis inde temporibus ad nostrum usque aevum paene immutatis. Sic denique quam insane Othomani persistant in retinendis iis, quae a patribus hereditaria quasi superstitione acceperunt, neminem fugiet, qui primis tantum labris populi istius historias attigerit. Nonne audivimus ante hos quatuor annos, quantae a militibus moverentur turbae, cum ordinem militarem Imperator Turcarum ad exemplum civitatum Europaearum in melius redigere studeret? — Atque ita vel prudentissimis imperatoribus ac regibus Asiaticis propter sacerdotum multitudinisque superstitiosae furorem cum maximis in emendando statu civili militarique difficultatibus periculisque vi-

Quo magis Solon de humano genere meritus debet judicari, quod sanctissimo Areopagitarum consilio constituto Salaminiam illam Themistoclis victoriam praeparavit, qua et Graecia et Europa et humanitas universa vindicata a barbarorum impetu est. Nulla tamen re diligentius idem ille efficaciusque humanitati consuluit, quam eis legibus, quibus puerorum educationem moderari atque describere instituit. Nam jussit

demus esse pugnandum. Cum vero fieri plane nequeat, quin temporis lapsu mutatio quaedam et legum et reliquorum institutorum publicorum poscatur, in illiusmodi civitatibus receptum est atque usitatum, ut quaecunque rerum publicarum mutatio solis atque unis relicta sit sacerdotibus. Hinc legislationem Indorum nonnisi concilium Brachmanum, e praeside et decem sacerdotibus literatis compositum, mutare valet, sicuti regi ipsi, nisi tribus Brachmanibus jureconsultis adscitis, jus dicere non licet. Cf. Menu's Verordnungen, von Jones, XII. 110—112. übersetzt von Hüttner. Weimar 1797. Hinc Chinae Imperator augendi quidem, neitiquam vero abrogandi leges utitur jure; hinc legibus Othomanorum popularibus derogandi easve interpretandi aut extendendi aut restringendi potestatem neitiquam Imperator exercet, verum solus Scheikh-ul-Islam, qui et Muphty urbis capitalis dicitur; hinc omnis jurisdictio in regno Turcarum penes sacerdotes, Ulemas dictos, fuit atque nunc est. Cf. Muradgeae D'Hohsson Tableau général de l'empire Othoman, Tom. II. p. 439 sqq.

Solon Athenienses filios suos educare convenienter et ordini et facultatibus, quod item Aristoteles de Republ. VII. I. praecipit a legislatore debere contendit. Sicut igitur pauperum filios opificia saltem et artes sellularias (*τέχναι βαναυσικάς*) doceri voluit ille: ita eos pueros, quorum parentes aliquo loco et numero essent, iis artibus erudiendos censuit, quae ingenuos maxime homines decerent, referente Isocrate Areopag. p. 333. Itaque Atheniensium pueri dimissi e gynaeceo, quod plerumque septimo aetatis anno fiebat, tradebantur binis praeceptoribus, quorum alter gymnasticen (cui venatio fere equitatioque accessit) docebat, alter literas; quae res constat ex Aristophan. Equitt. 188 sq. ex Platon. Protag. p. 289. atque ex Terent. Eunuch. III. 2. 23. Praecipue vero arithmetica et geometria imbuebantur omnes pueri adolescentisque, scilicet, ut mature adducerentur in consuetudinem ordine cogitata disponendi eaque ratione disserendi, ut quaeque iis, quae antecedunt, illustrentur et firmentur. Vid. hac de re Cic. de Orat. III. 32. Quintil. Instit. I. 19. Philippi autem Macedonis aetate pingendo quoque et delineando multi va-

cabant. Citharizare insuper et cantare ad chor-
darum sonos assidue docti sunt ingenui pueri; ut
quasi Aganippae rore mature irrigata tenera
pectora nihil intus susciperent, nisi honestarum
rerum cogitationem. Cui rei praeterea consul-
tum eo est, quod diebus festis publice privatim-
que praemia proponebantur, eroganda iis pueris
adolescentibusque, qui lyrica carmina Solonis
aliorumque optime cecinissent *).

Atque haec erant, ut constat ex Diog. Laërt.
II. 79. VI. 103. ex Isocrat. Panegy. II. 195—
197. et ex Plat. de Legg. L. I. p. 517 sqq. haec
igitur erant ἐγκύκλια παιδείματα, a quibus dis-
cerni solitum et eloquentiae et philosophiae stu-
dium, cui non pauci vacabant. Cumque statim
a pueritia his rebus operam dari vellent Attici,
earum cognitionem sua lingua παιδείας vocabulo
affecerunt, ex quo id ipsum intelligeretur: Ro-
mani humanitatis studia appellarunt, videlicet
indicantes, homines talibus disciplinis expolitos,
longissime remotos a pecudibus et tanquam ma-

*) Cf. Solonis Atheniensis Carmin. ed. Nicol. Bacchius. Bon-
nae 1825; ubi hic vir eruditissimus de praemiis illis uberi-
us exposuit.

gis homines esse. Ac profecto ingenuas (quod
est apud Ovid. Pont. 2, 9) didicisse fide-
liter artes, emollit mores etc. sive, ut
usitatissimo illo Tullii praeconio utar, „huma-
nitatis studia adolescentiam alunt,
senectutem oblectant, secundas res
ornant, adversis per fugium ac sola-
tium praebent, delectant domi, non
impediunt foris, pernoctant nobis-
cum, peregrinantur, rusticantur.“ Et
haec quidem hactenus.

Jam vero videamus, quam altiores in
terra Attica radices humanitas egerit im-
perante Pisistrato. Qui quum Athenas, vivo
etiam Solone, occupasset, tamen tantum abfuit,
ut rempublicam conturbaret, ut Solonis legibus
et cives uti pateretur, et ipse iis satisfacere stu-
deret. Quid? idem quantopere bonas artes in
deliciis habuerit, testatur ille omnium Romano-
rum doctissimus humanissimusque, Cicero, de
Orat. III. 34. his verbis: „Quis doctior iisdem
illis temporibus, aut cujus eloquentia literis in-
structior fuisse traditur, quam Pisistrati? qui
primus Homeri libros, confusos antea, sic dis-

posuisse dicitur, ut nunc habemus.“ Eodem adjuvandarum artium studio ductus et musicae artis praesidi, Apollini Pythio, templum extruxit, et omnium primus fertur in ea urbe bibliothecam condidisse, scholamque instituisse in Lyceo. Quo de argumento, praeter Ciceronem de Divin. I. 13. et Gellium Noct. Att. VI. 17. recenti memoria omnium optime disseruit Wolfius, vir summus, in Prolegg. ad Homerum.

Tam egregia Pisistrati consilia imitatus est Hipparchus filius, cujus quantum fuerit adjuvandae humanitatis studium, et illud loquitur, quod Anacreontem Tejum Simonidemque Ceum, poëtas clarissimos, in familiaritatem suam adscivit, et multo magis ex eo efficitur, quod eos quoque erudire instituit, qui in agris habitabant. Quamobrem Hermas constituit per vicus viasque, inscriptis *ἐλεγείοις* *), quibus salutaria praecepta in

*) Certum quoddam lugubre carmen distichis compositum primum *ἔλεγος*, mox alia ejusdem argumenti carmina interdum alternis hexametris et pentametris conscripta eodem nomine, tandem cuncta carmina eodem hoc metro condita, querula et laeta, antiqua et nova, ob ipsam metri cognationem cum *ἐλέγιοις*, nominibus, ab *ἔλεγος* derivatis, *ἐλεγείοις* et *ἐλεγεία* sunt appellata; carmen autem di-

memoriam vitaeque usum proderentur. Nil mirum igitur factum esse, ut et Plato, vel quisquis ejus dialogi auctor est, qui Hipparchi nomine inscribitur, tanti viri sapientiam dilaudaret, et Athenienses postea sub eo sese, tanquam sub Saturno, aureum quoddam seculum vixisse praedicarent. Ceterum conf. quae de hoc argumento

stichis scriptum, sed non lugubre, apud Romanos demum elegus dici coepit, sive, soli Romani omnia *ἐλεγεία* vocabant elegos. Qua de re conf. Jo. Valent. Franckii Callinus sive Quaestio de Origine Carminis Elegiaci. p. 64 sqq. Quae quum ita sint, falsum esse apparet, sive conjunctionem et discrimen nominum *ἔλεγος*, *ἐλεγεία* et *ἐλεγείων* ipsamque vocabuli *ἐλεγείων* naturam et indolem spectes, sive Aristotelem consulas, de Arte Poët. I. 11., falsum igitur esse, quod Boettigerus (in Att. Mus. Vol. I. Fasc. 2. p. 338 sqq.) arbitratur, *ἐλεγείων* simul inventum esse cum *ἔλεγος*, et sepulcralia Simonidis epigrammata, quibus primum nomen *τοῖς ἐλεγείοις* lugubris argumenti causa sit impertitum, occasionem dedisse ad omnia haec nomina metro assignanda, quo scripserit Simonides epigrammata ista. Intelligitur contra, id quod certissimis argumentis docuit Franckius in l. 1., *ἔλεγος* esse antiquius, *ἐλεγείων* autem vel per se non nisi ad metrum spectare, ne multa, *ἐλεγεία* esse vel epigrammata vel alia carmina cujusvis argumenti, quae cum *ἐλέγιοις* commune habeant metrum. Nomina autem illa apud Atticos demum a Simonidis inde tempore usurpari coepta: ante Simonidem elegiaca carmina una cum heroicis *ἔπη* vocata. Vid. Franckii Callinus p. 41.

Plato in Hipparcho p. 239 ed. Bekker. praeterea Wolfius Prolegg. p. CXL sqq. ac. praecipue Broendsted in Reisen und Untersuchungen in Griechenland I. p. 67 sqq. disputarunt.

Atque ita Athenas vidimus patriis legibus publice privatimque temperatas emendatasque esse optimis artibus, atque humanitatem Atticae incolas terrae lactiore in dies fructu et maturiore alere et recreare.

Jam vero hoc tantum bonum, sub illud ipsum tempus, quum periculum esset, ne et Atheniensibus et Graecis omnibus et universo etiam terrarum orbi eriperetur a Persis: Attici maxime homines ingruentis retuderunt barbariae impetum, humanitatisque lucem conservarunt. Quis est, qui nolit grato mecum animo celebrare Miltiadem, Themistoclem, Cimonem, viros Athenienses, quorum nomina aeternis laudibus florent? Atque hoc loco respiciens illos *Μαραθωνομάχους*, et qui postea variis proeliis victores decertarunt, temperare mihi non possum, quin apponam, quae divino Paeane cecinit Aristoteles (Anthol. Gr. Jacobs. T. I. p. 110:

Ἄρετὰ πολύμοχθε
γένει βροτείῳ,
θήραμα κάλλιστον βίῳ,
σᾶς περὶ, παρθένε, μορφᾶς
καὶ θανεῖν, ζηλωτὸς Ἑλλάδι πόντος,
καὶ πόνους τλήναι μαλεροῦς,
ἀκάρμαντας κ. τ. λ.

Ac profecto, unde clarius resonat vox: „Decet cariorem esse patriam nobis, quam nosmet ipsos *)?“ *Navis reipublicae jactatur. Antennae gemunt. Viden', ut remiges, nautae, gubernatores, ut cuncti certatim, nemine cessante, laborant? Audisne inter procellae furores cantum: „Dulce et decorum est pro patria mori **)!“* Tanto spectaculo contemplando hodie quoque animi angustiae dilatantur, frigidaque praecordia incalescunt.

Jam videre lectores opinor, quam latus commentationi meae campus pateat, si in illis Persici belli heroibus subsistere et immorari velim. Sed non committam, ut cuiquam videar eos transilire terminos, quos initio pepigi huic libello.

*) Cf. Cic. de Fin. III. 19; de Off. I. 17. etc.

**) Cf. Horat. Carmm. III. 2. v. 13.

Progrediamur igitur ad illud tempus, ex quo Pericles rem Atheniensium publicam per quadraginta amplius annos administravit. Hoc enim principe et Cimone, qui Persarum copias fregerat, factum est, ut Athenae, in quas *διὰ τὴν τοῦ ναυτικοῦ ἐπιμέλειαν* (quae sunt verba Thucydidis II. 38.) ex omnibus omnium orbis terrarum partibus omnia continenter importarentur, ceteris Graecis in omnibus rebus longe antecellerent, ac navalium copiarum ope, post illam Persarum cladem paullatim ita eminent, ut cum ipsae non multum ultra viginti millia ingenuorum hominum haberent, postea tamen permultas insulas et mille oppida, longo circuitu, inde a Cypro ad Bosporum Thracium, hinc autem rursus reducto orbe ad Eubocam usque societatis necessitudine sibi devincta tenerent. Et vidit haec aetas summos artifices, ut Cimoni familiaritate junctum Polygnotum, qui una cum Micone et Panaenon porticum illam, quae ex ea re Poecile dicta est, cum aliis picturis decoravit, tum egregia illa (a Cornelio quoque in Miltiade Cap. VI. memorata) tabula, qua ille pugnam Marathoniam exhibuerat. Vidit eadem Phidiam adjunctum Pericli. Hic quidem,

quum etiam privatus exstruendum curasset Odeum destinatum Rhapsodorum recitationibus certaminibusque musicis, jam praefectus reipublicae, illius artificis ingenio ad ea opera perficienda usus est, quae, ab ejus nomine appellata, ad declarandam summam artis praestantiam hodie quoque vulgo Phidiaca usurpantur. Non est, cur a me copiosius explicentur Jovis Olympii Minervaeque Poliadis signa, aut praeclara illa Propylaea Parthenonque, Periclis consilio restitutus multo ornatius, quam antea fuerat, aliaque Athenarum ornamenta publica, cum de his omnibus accurate egerint viri clarissimi, earumque rerum, quae ad artes pertinent, omnium gravissimi prudentissimique iudices arbitrique, et e veteribus quidem Isocrates in Panegyri. C. VIII. et XIII. Plinius H. N. XXV. Sect. 34. et Sect. 36. ac 39. Pausanias Att. (I.) 15. 17. 19. 20. Plutarchus in Declamatione: Bellone an doctrina clariores fuerint Athenienses; Cap. II. idemque in Pericle cap. 13. Philochorus in Fragg. p. 55. Cicero de N. D. I. 27. et Athenaeus XIII; e recentioribus autem praecipue Winckelmannus in Geschichte der Kunst IV. p. 116 sqq. 339 sqq. 395 — 406.

V. p. 562 ed. nov. Dresd. praeterea Odofr. Muel-
ler Götting. 1820. idemque in Ersch. et Gru-
ber. Encyclopaedie VI. p. 238 sqq. porro Völ-
kel, Jacobs, Siebenkees, Toelken, Haus, Qua-
tremère de Quincy, alii. Neque magis comme-
morabo alios artifices Athenienses, ut Apollo-
dorum, Zeuxidis praeceptorem, cui ars pingen-
di magnam et inventionis et exornationis partem
debet; Parrhasium, qui, referente Plinio
Hist. Nat., populum etiam Atheniensem in tabula
repraesentavit; praeterea Euphranora, qui,
optimis artibus eruditus et pingendi fingendique
idem mirus artifex, primus exprimere judicatus
est dignitatem heroum, aut Alcamenem, Phi-
diae discipulum, qui in marmore non minus,
quam in aere eboreque et auro felicissime elabo-
ravit. Longum est singulos memorare, qui vel
Athenis nati pictura sculpturaque et aliis artibus
claruerunt, vel ibidem degentes ex Atticis maxi-
me rebus operum suorum argumenta duxerunt:
quando nemo dubitare potest, quin haec urbs
has artes partim invenerit, partim honorem iis-
dem, vim atque incrementa contulerit; id quod
copiosius ostendit Boettigerus in libro: Ideen

zur Archaeologie der Malerci, et Fr. Thierschius:
Ueber die Epochen der bildenden Kunst unter
den Griechen.

Jam vero accedo ad Tragoediam, quam,
inchoatam inde a Thespide rudioemque adhuc,
excoluit eique dignitatem addidit Aeschylus
Atheniensis, gravis praecipue sublimisque et
grandiloquus. Ejus granditatem excepit facun-
dia Sophoclis, et ipsius Atheniensis, qui non
minus sublimis et sermone et sententiis, idem
tamen quod rude et incompositum in Aeschylō
resederat, ita expoliit, ut tragoediam ad sum-
mum perfectionis gradum eveheret. Ad Euripi-
dem autem quod attinet, hujus singulos versus
singula testimonia ac praecepta vitae Cicero di-
xit, ejusdemque illius fabulas Socrates ipse, ut
sapientiae scholam, frequentavit. Ac profecto
in Euripide cognitum est, quid sit illud, de quo
Aristoteles loquitur (Poëtic. VI. 2. Rhetor. II. 5.
p. 123 sqq. ed. Gaisford.), tragoedia τῶν παθη-
μάτων κάθαρσιν (animi purgationem) perfici. Ete-
nim cum virum fortem videmus, cum mala for-
tuna compositum (quae sunt verba Senecae de
Providentia cap. 2.), in ipso mortis articulo sibi

constantem, neque fractum fortuna concidere animo, sed sursum spectare immobilem: nascitur in animis nostris simul cum miseratione ille sensus humanitatis, qui ab omni humilitate alienus nosmet ipsos alte spectare docet, utpote divinae naturae cognatos quodammodo atque conjunctos. Nemo autem commovendae miserationis major artifex exstitit Euripide, qui philosophiae fructum divinae Anaxagorae Socratisque placita in scenae actionem traduxit. Itaque fabulis animorumque motibus tragoedia eam fraudem fecit Athenis, qua, ut praeclare dicebat Gorgias (apud Plutarch. de Audiend. Poët. p. 15. D.), „et, qui deciperet, non decipiente justior esset, et, qui deciperetur, non decepto sapientior.“ Neque igitur ad vana oculorum oblectamenta, verum ad animi honestissima studia erogatum debebat videri, quidquid Attici in Phoenissas, Oedipos, Antigonom Electramque et similes fabulas sumtuum faciebant. Comoedia porro, quae aliunde, maxime a Siculis initia cepisset, Athenis tamen et ipsa ad maturitatem adducta est; non modo vetus illa, quae libera civitate improborum saepe hominum licentiam

coercuit, sed media quoque itemque nova, quae e foro quasi et concione in aedes se recepit, privatorumque ingenia moresque utilissime imitata est. Atque hoc loco illud teneri volo, quod cum consilio meo arctius continetur. Quemadmodum enim Polycletus Sicyonius consummasse artem dicitur toreuticenque erudiisse, Phidias autem aperuisse: ita hac ipsa aetate poësin, quam aperuerat quodammodo Homerus, suis numeris perfecit absolvitque Sophocles. Utque Polycleti canona imitando Lysippus exprimere studuit: sic ad Sophoclis et Aristophanis aequaliumque imitationem optimus quisque posteriorum poëtarum se contulit; ita quidem, ut e Romanis etiam poëtis satiricis hoc de se profiteretur Juvenalis, Sat. VI. 634 sqq.:

Fingimus haec, altum Satira sumentem cothurnum,
 Scilicet, et finem egressi legemque priorum;
 Grande Sophocleum carmen bacchamus hiatu,
 Montibus ignotum Rutulis coeloque Latino!

Quamquam non sum ignarus, tragicam quidem dici quodammodo posse Juvenalis carminum materiam, tragicam etiam orationis granditatem, sed minime tragicum ipsum Satirarum genus, nec

posse de poëtica generis natura accipi illum, quem modo attuli, Juvenalis locum: quandoquidem ab antiquae poëtae comoediae teste Horatio totus pendebat Lucilius*), a Lucilio posteriores satirici Romani. Lucilianae igitur sunt omnes omnium Romanorum satirae, cognataeque cum veteri Atticorum comoedia, nec genere, sed modo inter se differunt, pro cujusque poëtae et aetatis, cujus effigies describenda erat, ingenio. Quae tamen in re tenendum est, quod verissime monuit Jo. Valent. Franckius, vir egregius, in Examine Critico Juvenalis Vitae pag. 124. his verbis: „Jam vero quum omnino careret satira fictionum et sermonis ingeniosa audacia, chori cantionibus et parabasibus, quibus imprimis se extulit veteris comoediae poëtica virtus, quumque haec ne apud Horatium quidem satis compensarentur re-

*) Cf. Horat. Satir. l. 4. v. 1—7. ubi legitur:

Eupolis atque Cratinus, Aristophanesque, poëtae,
Atque alii, quorum Comoedia prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi, quod malus, aut fur,
Quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus;
Mutatis tantum pedibus numerisque. —

rum ordine aeque libero arteque aeque feliciter dissimulata: non potuit non hactenus satira ad novam comoediam, quae speculum consuetudinis fuit, propius accedere.“ Hoc ille.

Ego autem, quum mihi per hujus libelli angustias non liceat latius in hoc genere evagari, jam transeo ad Atticorum Eloquentiam, de hac quoque, quatenus res pertineat ad illum Cicero- nis locum in Oratione pro Flacco, paucis expositurus. Atque hoc loco loquentem introducere liceat scriptorem me multo doctiorem, Morgensternium, virum clarissimum, qui in praestantissima Oratione de literis humanioribus, sensum veri, honesti et pulchri excitantibus atque acuentibus, Lipsiae MDCCC. p. 57. haec dicit: „Apud Graecos, ubi libertatem publicam cum societatis legibus temperatae necessitate consociare summa contentione nitebantur homines: ex civium politissimorum cogitationes suas cum rudioribus civibus *ισονόμοις* communicandi intentissimis studiis ars dicendi primum effloruit.“ — Et re vera, cum summa rerum tunc quidem penes populum esset, judiciisque interessent homines de plebe: necesse fuit, illam Periclis, Alci-

biadis similibusque virorum, a philosophia professorum, orationem doctrinamque ad popularem simplicitatem remitti. Quo factum est, ut quidquid animus, in maximarum rerum meditatione defixus, secum concepisset, illud ipsum in communem omnium intelligentiam explicaretur. Quae res quam vim habuerit in populum Atheniensem, bene animadvertit Herderus, vir summus, in libro: *Ideen zur Geschichte der Menschheit*, Tübingen 1806. Thl. 3. p. 183. his verbis: „Athen ist unstreitig die aufgeklärteste Stadt in unserer bekannten Welt gewesen. Weder Paris noch London, weder Rom noch Babylon, noch weniger Memphis, Pecking und Benares, werden ihr darüber den Rang anstreiten.“ Nonne hinc luculenter apparet, eloquentiam Athenis vitae communis magistram, stuporisque et immanitatis expultricem fuisse? Ac profecto una urbs Attica pluribus sanae eloquentiae, quam universa Graecia, floruit operibus. Infiniti fuerit libri, si Atticorum oratorum partes quasi et fontes repetere, atque genera et velut familias describere velim. Quod e veteribus ipse ille optimus eloquentiae iudex Cicero, et recenti memoria Ruh-

kenius (in *Historia Critica Oratorum Graecorum*) ita fecerunt, ut nihil desiderari possit. Itaque nihil dicam de concinnitate Gorgiae, quem primum paria paribus adjuncta et contrariis collata contraria invenisse memoriae prodidit Diodorus Siculus XII. 53.; nihil de subtilitate et elegantia Lysiae, quo nihil, iudice Quintiliano J. O. L. X. 1., si oratori satis docere, perfectius; nihil de gravitate Demosthenis, qui unus omnes eloquentiae numeros explevit, nihil de Phalerei illius suavitate doctrinaque. Hoc addidisse sufficiat, quod est apud Ciceronem, (qui ipse quum se totum ad scriptorum imitationem Atticorum contulisset, effinxisse Quintiliano videtur vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis), Orator. cap. 13. „eloquentiae studium non commune fuisse Graeciae, sed proprium Athenarum, Isocratisque domum cunctae Graeciae quasi ludum quendam patuisse et dicendi officinam;“ itemque illud alterum: „eloquentiam, ut semel e Piraeo evecta esset, omnes peragrasset insulas, totaque Asia esse peregrinatam *).“

*) Cf. Max. Tyr. Diss. XXIII. 2. p. 440. Reisk. — Ἀθηναῖοι λέγουσιν, καὶ ἔστιν ἡ περὶ τούτους λόγους σπουδὴ τέχνη Ἀττικῆ.

Unde satis intelligitur, hac sola arte et inveni-
enda et augenda Atticorum urbem magistram gen-
tium exstitisse. Neque solum Hyperide, Aeschi-
ne, Demosthene florentibus ea laude inclaruit,
sed eandem retinuit Demetrii etiam Phalerei ae-
tate, et ad extrema etiam tempora propagavit;
ut a Libanio et posterioribus quoque dicendi of-
ficina diceretur, quo nomine eam Tullius appel-
laverat.

Athenis etiam eloquentiae se, tanquam co-
mes et alumna, Historia applicuit. Hanc enim
primus Thucydides, illa ipsa urbe oriundus, ar-
cessitam e templorum penetralibus in castra con-
cionemque adduxit, et prudentiae civili milita-
rique accommodavit. Cumque exsul civibus suis
sua et virtute et prudentia amplius in castris pro-
desse non posset: iisdem scribendo prodesse vo-
luit in secessu, cum funestissimi belli Pelopon-
nesii varios actus vicissitudinesque explicaret, et
velut ad oculorum sensum exponeret. Quod
ille ita perfecit, ut eum de bellicis rebus quasi
bellicum canere Cicero diceret, Orat. cap. 12.
Neque solum consilia ducum explicavit, sed ci-
vilium quoque commutationum causas et incom-

modorum remedia prudentissime aperuit. Quo-
circa, qui postea in consimili argumento elabo-
rarunt, ut Polybius, Sallustius, Tacitus, et re-
centiores quoque, velut Joannes de Mueller, alii,
ab hoc potissimum edocti exstiterunt. Quas vero
ille orationes rebus interposuit, eae redundant
et affluunt egregiae sapientiae copia; nemoque
illo efficacius omnem eloquentiae vim ad huma-
nitate aeterna sanctaque praecepta stabilienda
adhibuit. Atque ita Atheniensis hominis divino
ingenio historia facta est experientiae vicaria hu-
manitatisque commendatrix. Hujus autem civis
Xenophon, licet non aeque grandis nec ratione
nec oratione, tamen et ipse rerum scriptionem
ad omnem humanitatem accommodavit, idem-
que tam dulcis fuit, ut ejus voce Musas quasi lo-
cutas dicerent. Quid porro dicam de Ἀρτίδων
scriptoribus, Philochoro, Apollodoro, Metone
aliisque? quorum egregia opera invidia tempo-
ris nobis eripuit, fragmentis tantum relictis.
Vide Philochori et Androtionis Fragmenta ed. C.
G. Siebelis. Lips. 1811. itemque Phanodemi,
Demonis, Clitodemi atque Istri Fragg. ed. Sie-
belis. Lips. 1812. De Apollodori autem Athe-

niensis Chronicis consule Heynii editionem Apollodori.

Jamque progrediamur ad philosophica studia consideranda, in quibus, sicut in reliquis artibus, si rationem ineas omnium antiquitatis populorum, Graeci, atque in Graecis maxime Attici, principem facile occupant locum. Nam quid de Indorum philosophis judicandum sit, luculenter apparet ex hoc Plinii loco H. N. VII. 2: „Philosophos Indorum, quos Gymnosophistas appellant, constat ab exortu ad occasum perstare contuentes solem immobilibus oculis, ferventibus arenis toto die alternis pedibus insistere.“ — Maximis superstitionibus eorum doctrinam refertam fuisse, notum est; adeo ut non tam verae philosophiae, quam cultus divini cum illa, quam Graeci dicunt, *ἀστρολογία* connexi vestigia conspiciamus; quanquam veteres scriptores referunt, sapientes istos immortalitatem sive *παλιγγενεσίαν* statuisset, moribus castigandis operam dedisset, naturam rerum diligenter investigasse; quibus quidem omnibus genuina philosophia nondum efficitur.

Idem paene de Chinensium philosophia di-

endum puto, ceterum non ignarus, Confucium illum Chinensem haud immerito in magnorum virorum numero esse *).

Est porro Phoenicum civitas Sidon, cujus cives a Strabone in Geogr. I. XVI. p. 521. celebrantur *πολύτεχνοι καὶ καλλιτέχνοι*, πρὸς δὲ καὶ *Φιλόσοφοι*, περὶ τε *ἀστρονομίαν καὶ ἀριθμητικήν*. Atque illud etiam: τὸ περὶ τῶν ἀτομῶν δόγμα, παλαιὸν ἀνδρὸς ἐστὶ Σιδονίου, nihil demonstrat, nisi physicis Sidonios operam navasse. — Ceterum de Sanchuniathonis, philosophi Phoenicii, Fragmentis, in quibus de mundi origine exponitur, multum adhuc dubitatur; tametsi Goguet de l'Origine des Lois. Tom. I. p. 389 sqq. fidem illis tribuit.

Jam de Chaldaeis quid dicam? qui quidem

*) Vid. Herder. Ideen, Theil III. Seite 20. „Confucius ist mir ein großer Name, obgleich ich die Fesseln nicht verkenne, die auch er trug, und die er mit dem besten Willen dem abergläubigen Pöbel und der gesammten Sinesischen Staatseinrichtung auf ewige Zeiten aufdrang. Durch sie ist das Volk, wie so manche andere Nation des Erdkreises, mitten in seiner Erziehung, gleichsam im Knabenalter, stehen geblieben, weil das mechanische Triebwerk seiner Lehre den freien Fortgang des Geistes auf immer hemmte.“

in Syria, Babylonia, Assyria, Mesopotamia versabantur. „Χαλδαῖοι (quae sunt verba Diodori Sic. II. c. 29.) πρὸς τῆ θεραπείᾳ τῶν θεῶν τεταγμένοι πάντα τὸν τοῦ ζῆν χρόνον φιλοσοφοῦσι, μεγίστην δόξαν ἔχοντες ἐν ἀστρολογίᾳ. Ἀντέχονται δ' ἐπὶ πολλὸν καὶ μαντικῆς.“ Nonne hinc luculenter apparet, celebratissimam Chaldaeorum sapientiam occupatam potius fuisse in vaticinandi arte astrorumque explicandorum peritia, quam in sana quadam philosophia? — Ceteroquin quae de eorundem σοφία habemus Berosi Fragmenta, uti hujusmodi plurima, non satis magnam habent fidem. Vide hoc de argumento Ciceron. de Divinat. I. 1. 41. II. 43. 46. et Strabon. L. XV. p. 508. ed. Casaub.

Aegyptios porro a genuina philosophia remotos fuisse, nullam habet dubitationem. Quamvis enim, ut Herodoti verbis utar, L. II. c. 123. πρῶτοι καὶ τότε τὸν λόγον Αἰγύπτιοι εἰσι οἱ εἰπόντες, ὡς ἀνθρώπου ψυχῆ ἀθάνατός ἐστι, iidemque, ut constat ex Diogene Laërt. prooem. s. 10. de mundi materia atque elementis meditati sunt, tamen physicis, astrologicis, superstitionis potius operam dedisse videntur, quam verae phi-

losophiae; id quod discrete dicit Diodorus Sic. I. I. c. 11., ubi *ιεροσκοπία* commemoratur, cujus ope sacerdotes Aegyptii futura praesagierint.

Neque de Persarum philosophia aliter potest statui. Quaecumque enim de ista veteres harum rerum scriptores tradiderunt, e religiosa superstitione explicanda videntur; quandoquidem, quae Cicero de Divinat. I. c. 23. 41. Herodotus I. c. 131. Strabo I. p. 16. XV. p. 503. XVI. p. 524. ed. Casaub. Plutarchus de Isid. et Osir. cap. 46. Diogenes Laërt. prooem. s. 8. Plinius II. N. XXX. 1. VII. 16. XI. 42. Justinus I. 1. hoc de argumento exhibent, omnia ad sacrorum cultum redeunt.

In Arabia quoque antiquis temporibus omnem philosophiam in doctrina de astris colendis, quam Sabianismi nomine appellarunt, substituisse notum est.

Tantum igitur abest, ut saniosem, quae apud Graecos reperitur, philosophiam in Asia Aegyptoque inveniamus, ut animos ibi mysteriorum obscuritate occupatos imbutosque et ad servitutem usque suppressos videamus.

Romanos porro inter omnes constat Graec-

corum pedibus in latissimo philosophiae campo incessisse.

Quae autem studiorum philosophicorum incerta apud Gallos et Britannos, Getas, Scythas reperimus vestigia, tam exigui sunt momenti, ut nihil exinde conjicere liceat, nisi populos illos ope religionum ad aliquam et humanae naturae et rerum externarum cognitionem adductos fuisse, eam quidem satis imperfectam *).

Jam vero ab omnibus his populis respiciamus ad Graecos, in Graecis autem potissimum ad homines Atticos. Ab his enim (secundum illa Ciceronis verba in Oratione pro Flacco) humanitatem doctrinamque ortas, inque omnes fere terras distributas esse, jamjam, quum Atticam philosophiam consideraverimus, luculentius aliquanto apparebit; quamquam haec ipsa hoc quidem loco

*) Cf. Jul. Caesaris de Bello Gallico Commentar. VI. 13. de Druidis. Cic. de Divinat. I. 41. Strabo IV. p. 136. ed. Casaub: *Δρῦνται δὲ πρὸς τῇ φυσιολογίᾳ καὶ τὴν ἡθικὴν φιλοσοφίαν ἀσκούσι.* De probis Anacharsidis Scythae moribus vid. Cic. Tusc. Disp. V. c. 32. De Getis eorumque philosopho Zamolxide dei instar habito vid. Herodot. IV. 94. et Strab. VII. 210. XVI. 524. Idem de Anacharside VII. p. 209. —

leviter tantummodo a me attingi et quasi delibari potest. Nam philosophiae quasi nutrices Athenas quis unquam ita laudare queat, ut ejus argumenti ubertati satisfacisse videatur? Quae quidem urbs, quum Socratem protulerit, de universo hominum genere praeclare merita debet judicari. A tali enim philosopho quum proseminatae essent nobilissimorum philosophorum familiae, dispares quidem (quod ex ejus variis et in omnem partem diffusis disputationibus alius aliud apprehenderat) et maxime diversae inter se, ab aliqua tamen parte a Socratis doctrina adeo non abhorrentes, ut omnes, quod est apud Cicero- nem, de Orat. III. 16. se philosophos Socraticos et dici vellent et esse arbitrarentur: fusus est sanior ille sensus, a Socratica disciplina manans, per omnem antiquitatem. Nam, ut alium praeterea Ciceronis locum afferam, Tusc. V. 4. „Socrates primus philosophiam devocavit e coelo, et in urbibus collocavit, et in domos etiam introduxit, et coëgit de vita et moribus, rebusque bonis et malis quaerere.“ — Quodsi secundum haec verba verum est (ita autem esse Xenophon- tei in primis dialogi unumquemque docere pos-

sunt), avocavisse Socratem primum philosophiam a rebus occultis ab ipsaque natura involutis, et ad vitam communem adduxisse, ut de virtutibus et vitiis, omninoque de bonis rebus et malis quaereret: igitur hoc si verum est, quis humanior Socrate unquam philosophus fuit, quis modestior et ab omni arrogantia et fastu alienior? Hoc auctore philosophia exstitit vitae gubernatrix, virtutum parens et pravaram libidinum victrix. Hic, si quis alius, ad suam ipse regulam vixit et, quod est apud poëtam (Aristophan. Nub. v. 993.), pudoris quasi specimen absolvit. Et digni tanto viro discipuli fuerunt Xenophon et Plato; quorum ille, quum magnam vitae partem exigeret in castris, et bellicam disciplinam et omne officium imperii vitaeque actionem omnem Socraticae rationis praeceptionibus moderatus est et temperavit. Hic autem, licet ad retrusarum rerum investigationem rursus redeisset philosophiam, cum de mundi satu et ortu similibusque rebus aliis quaereret, neque tamen idem a praeceptoris virtute defecit, sed praestantissima ejus decreta magis etiam communivit. Nam quod Socrates docuerat, animos

hominum esse divinos, iisque, quum e corpore excesserint, reditum in coelum patere: gravissimis ille confirmavit argumentis et copiosissime explicavit. Idemque mentem vindicari ab eorum, quae nascantur et fluant, servitio et illecebris jubet, et ad illorum tantum cogitationem revocari, quae hujus vitae terminos excedant et perennia habeantur. — Quid vero dicam de Platonis discipulo, Aristotele, mirando illo et inter Atticae philosophiae principes eximio viro? „Quem quidem dubito,“ inquit Quintilianus, Instit. Orat. X., „scientia rerum, an scriptorum copia, an eloquendi suavitate, an inventionum acumine, an varietate operum, clariorem putem.“ Et vero hic, si quis alius, constanter tenuit illam praeceptoris vocem, quae legitur apud Ciceronem, de Orat. III. 6. „est illa Platonis vera vox, omnem doctrinam ingenuarum et humanarum artium uno quodam societatis vinculo contineri;“ eratque in illo ea cupiditas, quam idem Plato in philosophi indole inesse voluit, disciplinae non unius alicujus, sed universarum. Cui studio cum ingenium responderet, consecutus ille hoc summum est, ut in omnes partes intelli-

gentiam converteret, et literarum universum quasi orbem non modo mentis cogitatione, verum etiam scriptione complecteretur. Idem, unus homo, de rebus diversissimis, de elementorum vi et ratione, de plantarum, animantium, lapidum varietate et generibus subtilissime exposuit, et plurimarum artium, quae adhuc apud Graecos effloruerant, indolem naturamque ad rationis praecepta primus retulit. Quae quidem artes, praesertim eae, ad quas perficiendas mentis purae ac sobriae diuturna contentione, nec non revelatae religionis lumine opus erat, ut metaphysica, ethica, eae porro, quae nonnisi observandi atque experiendi diuturnitate queunt constare, ut physica, altera matheseos pars, astronomia, chemia, historia naturalis, quanquam recenti memoria ad perfectionis gradum olim incognitum provectae sunt: tamen illud justus quisque rerum iudex arbiterque facile concedet, Aristoteli et inventionis et exornationis et immensae doctrinae tribui debere laudem. Hunc igitur ii suspiciant, qui, cum vixdum unius saepe artis rationem recte teneant, tamen suo supercilio, tanquam Atlante coelum, universam rerum na-

turam niti opinantur. Ab hujus viri ludo, itemque ab Academia, tanquam ex omnium artium officinis, oratores, imperatores ac rerum publicarum principes profecti sunt, ab his mathematici, poëtae, musici denique exstiterunt. Taceo plurima: illud attingam, captis a Sylla Athenis primum factum esse, ut Aristotelis scripta transportata Romam, terrarum dominis innotescerent. Quae res quam vim habuerit, nemo nescit, qui et horum librorum praestantiam norit, quibus, ut modo dixi, plurimarum ratio disciplinarum consignata est, et secum reputaverit, quot populi deinceps per labentium seculorum decursum usque ad renatas literas ab ejus hominis ingenio, velut ex uberrimo fonte, scientiam suam certatim repetierint.

Itaque Athenae, quae Homerum, utpote Smyrna oriundum ab Atticis condita, suum civem haberi voluerunt *), quae Tyrtae-

*) Cf. Wolfii Prolegg. p. CXLIII. ibique cum alios veterum locos, tum Anonymi ap. Allatium de Patria Homeri, qui (Anonymus) epigramma graecum addit adscriptum Pistrati statuae, quo epigrammate Homerus Atheniensium civis dicitur, quandoquidem illi Smyrnam condiderint.

um *), Solonem, Hipparchum, Miltiadem, Themistoclem, Cimonem, Periclem, Aeschylum, Sophoclem, Aristophanem, Socratem, Platonem, Xenophontem, Thucydidem, Phidiam,

*) Tyrtaeum in Attica esse natum, negari non sum ignarus a Boettigero in Att. Mus. Vol. I. Fasc. II. p. 356, qui nunc putat pro comperto haberi posse, Milesium fuisse Tyrtaeum, improbante Mansone in Sparta Vol. I. Part. II. p. 284 seq. probante, praeter Conr. Schneiderum, Creuzerum, Rohdio de Vet. Poët. Sapient. Gnom. p. 272, et Astio in libro Germanice de philologia scripto p. 90. Verum pro ista opinione nihil aliud potest afferri, quam Suidae locus: *Τυρταῖος* — *Λάκων ἢ Μιλήσιος* etc. auctoris profecto ibi tantum probati, ubi sequitur probatos auctores, et locum quidem hoc magis etiam suspectae auctoritatis, quod Lacedaemonium non fuisse Tyrtaeum cuique obvium est. Atqui omnes consentiunt, Lacedaemonios in bello secundo Messeniaco ex Apollinis responso Tyrtaeum ab Atheniensibus ducem tulisse; et controversum fuit hoc unum, ex quonam esset profectus Atticae loco. Quaeritur igitur, an credibile sit, Athenienses dedisse hospitem Lacedaemoniis ducem. Visum est ita Boettigero. Nos veteres sequamur, qui Atheniensem Tyrtaeum fuisse dicunt, donec Boettiger diversam hinc suam sententiam idoneis argumentis munierit, quod ut fieri queat, magnopere verendum est. Sunt autem veteres illi Lycurgus Orat. in Leocratem, ubi Tyrtaeum inter majores Atheniensium refert, et hoc etiam antiquior Plato, gravissimus sane, si quis alius, auctor, Leg. I. p. 629, ubi eundem *φύσει μὲν Ἀθηναῖον* dicit. Ceterum cf. de Tyrtaei Patria Jo. Valent. Franckii Callinus p. 96 sqq. ubi extra dubitationem ponitur, Atheniensem fuisse Tyrtaeum.

aliosque permultos viros immortales, quos enumerare et longum est, neque necesse, in lucem ediderunt, eadem et doctissimum philosophorum Aristotelem ad perpetuam posteritatis memoriam commendarunt.

Jam equidem hoc loco possem evagari latius, atque in singulis Academiae, Lycei, Stoaec et Epicuri hortorum ornamentis subsistere et immorari. Sed avocant me ab eo consilio hujus libelli angustiae. Itaque omittam illos Academicos, Arcesilam, Carneadem, Philonem, Antiochum, alios; neque magis dicam de perpetua illa Peripateticorum eaque nobilissima familia, Theophrasto, Clearcho, Dicaecharcho, Heraclide Pontico, Aristoxeno, aliisque, quos enumerare longum est. Tacebo universam Zenonis Chrysippique rationem, qui cum contractioris quasi adstrictiorisque orationis essent, tamen rerum a se traditarum luminibus non minus, quam Polygnotus et Micon, illam porticum nobilitarunt, unde eorum secta nomen invenit. Quid porro Cyrenaicos dicam, quid Megaricos, quid Eliacos et qui reliqui plurimi ex Attica philosophia exorti sunt?

Praetereo plurima, illud unum addidisse ju-

vabit, Atticae philosophiae ornamenta, licet inter omnes antiquitatis philosophos principem facile occupent locum, tamen, ut quibus nondum affulsisset lux evangelii, in maximos saepe incidisse errores, praesertim quoad doctrinam de Natura divina, de castitate, de *ἀντροχειρία*, de universalis generis humani caritate etc.; unde recentidemum memoria, revelatae ope religionis, a Britannis maxime et Germanis purior illa veriorque, qua hodie gaudemus, condita est philosophia; cujus natura in strenua et tranquilla totius mundi, hinc et summi numinis nostrique ipsorum contemplatione non minus cernitur, quam in severa fundamentorum, quibus sententiarum compositio innititur, censura atque in tali sententiarum conjunctione, qua alterum alteri consequens sit et necessitate ipsa connexum. Quamquam negari nequit, et celeberrimos Britanniae Germaniaeque philosophos, quotiescunque a revelatae religionis auctoritate aeterna aberraverint, in portentosos incurrisse errores.

Quibus expositis ad aetatem redeo Socratis. Qui quidem ad salubres animorum quasi epulas ut suavissimum addiderat condimentum sermo-

nis: ita Socraticorum quoque principes orationis lenociniis et velut incantamentis mirificos rerum honestissimarum amores et excitabant et augebant. De Xenophonte supra dixi, et notissima sunt haec Quintiliani, Instit. Orat. L. X. 1: „Quid commemorem Xenophontis jucunditatem illam inaffectedam, sed quam nulla possit affectatio consequi, ut ipsae finxisse sermonem Gratiae videantur: et quod de Pericle veteris Comediae testimonium est, in hunc transferri iustissime possit, in labris ejus sedisse quandam persuadendi deam.“ — Platonis autem tanta dicendi ubertas, ut ipsum philosophorum quasi quendam deum haberent, Jovemque faterentur, si Graece loqueretur, sic loqui. Propterea ex Academiae spatiis summi oratores exstiterunt, et ipse ille Demosthenes fertur lectitavisse Platonis libros ipsumque audivisse. Quid? quod summus Romanorum orator idem de se profitetur. Ac sicut in marmore rudia initio opera instituuntur inchoanturque, quae, non nisi vetustate commendabilia, aetatem ferunt, quoad doctiore paulatim caelo signa perficiantur, quae praestantia sua intelligentium quoque oculos animosque

advertant et teneant: ita sermonis Graeci horrida primum et quasi scabra facies, perpetuis Atticorum hominum curis erudita et expolita, divinam illam pulchritudinem explicavit, qua ille sermo, ut Morgensternii, viri clarissimi, verbis utar *), philosophorum subtilitati, perspicuitati, proprietati non minus idoneus, quam poëtarum vigori, elegantiae, suavitati, oratorum vi, copiae, gravitati, historicorum candori, munditiae, ubertati: — proxime, certe propius, quam omnes linguae, quae adhuc inventae sunt, ad perfectionem mirum in modum accedat.

Eodem maxime tempore Athenis et rem scenicam Aristophanes excoluit, (cujus in animo, velut in sacrario, Gratias sibi ipsas domicilium constituisse, Plato aliquo epigrammate prodidit,) et Periclis domus tum illius tum Socratis aliorumque summorum virorum familiaritatibus floruit. Ejusmodi hominum congressibus si quis cum laude interesse vellet, cum oportebat placere ea facilitate morum, quae aequae aliena es-

*) Cf. C. Morgensternii Oratio de litteris humanioribus, etc. Lipsiae et Gedani MDCCC. pag. 10.

set a fatuitate, cui nihil non probatur, atque a morositate tristitiaque, cui nil probari potest. Commendari debebat faceto quodam genere sermonis, quod liberum esset nec indecorum. Atque in his circulis nata est dicacitas *), non scurrilis ista et quae quemquam laedere videretur, sed modica quaedam et decora. Horumque hominum colloquiis scriptisque et intellectum primum est et ad eam regulam postea exactum, quid sit illud, Attice dicere et ad Atticorum aures teretes religiosasque accommodate. Quae colloquia ut urbanitatis quasi quodam sale perspersa mirifice placent: sic nec minus eo commendantur, quod scientissime fugiunt, quidquid nimium et effusius videatur. Et sicut Attica judicia orationem fastidiebant, quae inconcinna ac velut impexa agresti facie horreret squaleretque: ita displicebat ea, quae nimis compta et quasi calamistris inusta unguentisque delibuta flueret. Neque vero solum in sermonibus ac scriptis Attici

*) Cf. Aristot. Ethic. Nicomach. IV. 8. et in eum locum Caroli Zellii Commentar. p. 156. praeterea Barthélemy Voyage du jeune Anacharse T. II. chap. 20. p. 395.

aspernabantur affectatum istud genus effusumque, quodque nimia arte quaesitum videretur: sed in rebus omnibus, in victu, vestitu inque universo vitae cultu. Ita enim videmus fere fieri, ut, ubi semel, dispulsa integritatis inimica barbaria, sensus ordinis decorisque vigeat, quo magna pars humanitatis continetur, jam omnia suum ornatum accipiant, hoc est eum, qui naturae humanae legi congruat, elegantiaque quaedam existat non ad unum quoddam genus adstricta, sed per omnes vitae partes fusa et explicata. Hac elegantia nituerunt Athenae, ex quo eas Pericles suavitate sua exhilararat; cognitumque ipso effectum est, quid sit illud, quod ipse apud Thucydidem II. 40. suos cives facere dicit: *Φιλοκαλεῖν μετ' εὐτελείας καὶ φιλοσοφεῖν ἄνευ μαλακίας.*

Neque postea, fractis ad Chaeroneam Graecorum opibus, literarum honor, quo Athenae floruerant, vetustate obsolevit. Nam inde ab Alexandri aetate, patefacto terrarum orbe, latius etiam evagata Atticorum humanitas beneficiis suis et Asiae magnam partem et Aegyptum et alias terras complexa est. Romanis autem terrarum dominis, finitisque bellis civilibus, laetissimus

illuxit Atticis literis dies. Qui enim ex illis harum tractationi operam dabant, ii fere Athenas, velut in commune gentium *παιδευτήριον* et museum Graeciae, mittebantur, quare Propertius (Eleg. III. 21.) eam urbem doctam appellat. Mox factum est, ut Atticae literae et artes, una cum Romanis (quae quidem maximam partem illarum progenies sunt) per totum propagarentur terrarum orbem; unde Juvenalis Satir. XV. v. 109 sq. ita:

„Nunc totus Grajas nostrasque habet orbis Athenas.

Gallia caesidicos docuit facunda Britannos.“

Nam et mortuo Cicerone Imperatorum quoque Romanorum ut quisque humanissimus fuit, ita fere Atticas literas insigniter tuitus est, ipsasque Athenas liberalissime habuit. Hadrianum (quo regnante scriptam esse a Juvenale Satiram XV. supra memoratam, ostendit Jo. Valent. Franckius in Examine Critico Vitae Juvenalis) Hadrianum igitur constat illam urbem restituisset, exornasse gymnasio, et bibliotheca instruxisset, exhilarasse etiam Periclis exemplo Dionysiis celebrandis edendisque agonibus, ut alia praeteream. Idemque urbis partem de suo nomine Hadriano-

polim vocari voluit. Tam egregia consilia imitatus est Antoninus Pius. Marco vero Aurelio Imperatore tum eloquentiae suae doctrinaeque luce eam collustravit, tum suis ex opibus liberalissime recreavit Herodes ille Atticus. Neque a patria virtute defecerunt Athenae, postquam Christiana sacra amplexae erant; sed insigniter flourerunt et constitutis Imperatorum munificentia disciplinarum cathedris et haud exigua docentium discentiumque frequentia, caedemque singulari pietate commendabiles fuerunt, ut constat ex Origine contra Celsum L. III. cap. 30. Vol. I. p. 466. ed. Ruaci: „Ἐκκλησία μὲν γὰρ τοῦ Θεοῦ, Φέρ' εἰπεῖν, ἡ Ἀθήνησι, πραιϊά τις, καὶ εὐσταθής, ἅτε Θεῶ ἀρέσκειν τῶ ἐπὶ πᾶσι βουλομένη i. e. Ecclesia enim quidem Dei, age dicamus, Athenis mitis quaedam et bene constituta, quippe Deo placere, qui est supra omnia, volens.“

Subsecuta sunt gravissima tempora. Nam Athenienses cum reliquis Graecis Turcarum imperio subjecti sunt. Nihilominus liberalis Graecorum indoles etiam inter nubila hic illic resplen-

det *). Licet enim sub regni Othomanici jugum missi turpiter imperio ac potestati tyrannicae parere cogerentur, Christianam tamen religionem sibi eripi nunquam passi dirissimam mauerunt crudelitatem ferre, quam amplecti cultum divinum humanitatis jura spernentem indulgentemque sensuum barbariei et superstitionibus commaculatum foedissimis **). Atque hoc tanta ingenii liberalitate fecerunt, ut adeo religiosam pontificis Romani tyrannidem, medio, quod vocatur, aevo Imperatorum Regumque sancta atque aeterna jura evertere studentem, fortiter rejicerent, ab episcopali patriarcharum auctoritate ad infinitum Papae Romani imperium nequaquam transgredientes, quamvis ille, ut

*) Cf. F. A. Ukert, Gemälde von Griechenland, Königsberg 1810. p. 150 sqq.

Muradgea D'Ohsson, Tableau général de l'empire Ottoman, Tom. II. p. 410 sqq. et Broendsted, Reisen und Untersuchungen in Griechenland I. p. XVII sqq. et p. 76.

**) Cf. William Falconer, Remarks on the influence of climate etc. p. 199. 214. Beatorum sedem Muhammedis religio voluptatis et quietis fastigium esse dicit; eodem paene modo, quo Tibullus in Eleg. L. II. 33. eorum, qui in Elysio versentur, amores pingit. Ceterum cf. Muradgea D'Ohsson, Tableau général, Tom. II. pag. 524 — 367.

et ipsos et Rossos sibi subjiceret, maximam daret operam. Recentissimis autem his temporibus tum Attici homines, tum alii Graeciae populi non pauci, morituri pro veritate una atque aeterna, cum incredibili virtute pro aris et focus propugnarent, quoad Deo ter optimo maximo juvante a gravi Othomanorum jugo feliciter liberati sunt virtute ac beneficio Augustissimi Rossorum Imperatoris, qui mira cum pietate ecclesiam Graecam Christianam vindicavit a barbarorum impetu ac vexationibus, atque his in terris Dei se vicarium eo praestat maxime, quod justitiam colit, bonasque artes insigniter tuetur et liberaliter alit; quae, quoniam benefaciendo in primis cernuntur, divinam benignitatem prae ceteris imitantur et referunt.
